

XIII, 106^a

(Hist. III, 792.)



72.)



S

AN

Q



Actiones Duæ

Q. supra

SECRETARIII
PONTIFICII:

Quarum alterâ disputat:

AN PAPA PAULUS IV. DEBEAT
cogitare de instaurando Concilio
Tridentino:

(MAGNA EST ENIM SPES DE PACE.)

Alterâ verò,

AN VI ET ARMIS POSSIT DE-
inde imperare Protestantibus ipsius
Concilii Decreta.



Recusæ

ANNO MDCVII.

Handwritten scribble

SECRETARIAT

SECRETARIAT

SECRETARIAT

SECRETARIAT

SECRETARIAT

SECRETARIAT



S

P



solu
in to
vide
habe
ardu
tract
post
grad
nego
fatis





SECRETARII

PONTIFICII ACTIO

PRIORIS DIEI:

*An Paulus Papa IV. debeat cogitare
de instaurando Concilio Tri-
dentino.*

BEATISSIME PATER.



Uum me Sanctitas vestra hoc honore (præter meum meritum dignetur) ut in numero me eorū esse velit, qui illi sunt à secretis: deinde intelligere possim, non solūm ea quæ Romæ quotidie fiunt, sed quæ in tota etiam Repub. Christiana tractantur: video nunc negotium quoddam in manibus haberi, quo nullum gravius, nullum magis arduum, magisq; periculolum memini esse tractatum, ex omnibus his quæ acta fuere, posteaquam in hunc supremum dignitatis gradum (Dei gratia) euectus es. De quo ipso negotio nunc verba facere est animus, quò satis etiam faciam conscientiaæ meæ, quæ hoc

veluti debitum à me reposcit, atq; urget vehementer. Liberè autem dicam quod sentio. Ubi finem fecero, V. Sanctitas, quæ omnes mortales sapientiâ superat, secum ipsa deliberabit, quid porrò agendum sit. Tantùm supplex peto, ut me velit nunc dicentem de rebus maximis & gravissimis, eâ benignitate & clementiâ audire, quâ solet reliquos suos.

Grave illud & arduum negotium quod dixi tractari in præsentiarum, hujusmodi est. Video enim nonnullos, qui monent atq; urgent de instaurando, continuando, & ad finem usque deducendo Concilio quod Tridenti inchoatum est. Atq; hæc primo aspectu videtur quidem opera utilis, salutaris, & tuta cùm vestræ Beatitudini, tum toti statui sacrosanctæ Rom. Ecclesiæ: quin his temporibus, quibus regnant tam multæ, tamq; periculosæ hæreses, videtur tantùm non necessaria, ita ut summus Pontifex non possit secus facere, quàm eam complecti atq; perficere: præsertim cum jam maturâ deliberatione, & prudentissimo totius Cardinalium Senatus, multorumq; Principum & sapientum hominum consilio atque autoritate deliberatum fuerit de eo celebrando, atque etiam instaurando, quum aliquando fuisset intermissum: & præsertim cùm magna pars operis atque ædificii extracta sit. Itaq; videri possit,

possi
prete
duim
V
liger
nissi
ciam
pruc
urser
dam
Si
um i
neq;
cæ, &
tam
& gr
celeb
culte
fis (v
dum
xima
ricul
esse f
M. I
statu
ciliu
CH
liger

possit, quòd sine magnæ negligentia notâ prætermitti nequeat, quin ipsum continuandum & absolvendum suscipiatur,

Verùm, si me Sanctitas vestra voluerit diligenter audire, nihil vereor quin possim planissimè indicare & persuadere, talem provinciam de absolvendo Concilio omnino esse prudenter declinandam, ac (si fortè nimium urserint potentiores) etiam apertè fugiendam. Rem itaq; aggredior.

Si facilè, commodè, & tutò posses concilium ipsum recolligere, & ad finem deducere, neq; interea essent audiendi strepitus, practica, & tumultus graves & periculosi: adhuc tamen essem in eadem sententiâ, ob maximas & gravissimas causas, ut prorsus abstineres à celebrando. Sed quanto magis, quum difficulter hoc possis, imò cum omnino non possis (vide quid audeam dicere) & cum interea dum volueris celebrare, sint audiendæ maximæ querelæ, & concitandi gravissimi & periculosissimi motus. Atq; hoc cur ita putem esse futurum, breviter dicam.

Duo comitia Augustana, alterum anni M. D. XLVIII. alterum verò M. D. LI. statuerunt, Tridenti esse celebrandum Concilium UNIVERSALE, LIBERUM, & CHRISTIANUM. Vestra Sanctitas hic diligenter attēdat. Omnes Principes inquam,

status & ordines Imperii, legitimè ac presentè ipso Cæsare ac Rom. rege congregati, non aliud concilium exposcunt, neq; alteri concilio se submitunt, quàm ei quod habiturū sit certas conditiones. Quas primūm narra- bo ordine: deinde discutiam, sintne admit- tendæ nobis, an non.

Principiò, quum dicunt Concilium ca- tholicum, aut universale, hoc intelligunt, ut in eo debeant adesse viri pii, docti & pruden- tes ex omnibus nationibus.

Cum dicunt Liberum, volunt, ut liceat & publicis & privatis personis, sub fide publici salvi conductus præstiti venire, stare & disce- dere, quoties illis libitum fuerit: & ante om- nia, ut liberè sine ullo metu aut impedi- mento loqui liceat, suamq; sententiam dice- re in ipso Concilio. Quum dicunt Christia- num, intelligunt, ut synceris animis, & mu- tuâ charitate (ut Christianos decet) materiæ Christianæ, & libri Christiani tractentur,

Ut verò planius declararent, quale demū Concilium exposcerent, cui sese vellēt subji- cere, præter ea quæ attigi, adhuc alia quædam addidère: quemadmodum ex ipsismet Co- mitiorum decretis, quæ mox recitabo, ostend- dam.

Statuerunt enim, ut omnes confessioni Augustanæ adjuncti, & qui mutationem re-
ligionis

ligionis fecerunt, possint interesse Concilio,
& audiri liberè, quousq; voluerint: quinet-
jam unà cum patribus tractare, unaque deli-
berare de articulis controversis. Scio me de
rebus arduis verba facere, & de his quæ à
valde paucis tuorum ministrorum sunt co-
gnitæ: itaq; magnâ attentione opus est.

Statuerunt item, quòd omnes definitio-
nes, conclusiones articulorum, de quibus
fuerit disputatum, fieri debeant ex divina &
sacra scriptura, doctrinaq; antiquorum pa-
trum. Divinam autem scripturam quam di-
cunt, eam intelligunt, quæ ex ipsis fontibus
hauritur: & de versionibus, quæ fontibus
propinquius adhæreant. Atque etiam de ea
divina scriptura intelligunt, de cujus autori-
tate numquam fuerit in Ecclesia dubitatum
quæq; numquam apocrypha habita fuerit.
Addunt præterea, velle se, ut divina scriptu-
ra ex se ipsa, & spiritu Dei intelligenda veni-
at, & interpretanda: ita ut ea sit superior, ac
veluti regina omnium conciliorû, omnium
Ecclesiarum, omnium scriptorum.

Quod ad veterum doctrinam attinet, vo-
lunt, ut illorum scriptorum autoritas præfe-
ratur, qui tum viciniore fuerunt Apostolo-
rum temporibus: tum Evangelio, veræq; ca-
tholicæ Ecclesiæ sensui conformia scripsêre.

Adhæc, scopum totius Concilii hunc esse

debere, ut in eo fiat reformatio Ecclesiæ, tollantur abusus & prava doctrina. Intelligunt autem proculdubio, de abusibus & doctrinâ Rom. Ecclesiæ.

Hæc prorsus forma est illius Concilii: hæ sunt conditiones, quibus Principes illi, status & ordines Imperii statuerunt concilium celebrandum esse. Si tale fiat, subjicient se illi. Sin minus, numquam (credat mihi S. vestra) suscipient decreta ejus, nisi coacti. At paulo post hoc etiam discutiemus, num possint cogi.

Ne verò videar, me confinxisse mihi, quæ de Comitibus illis narravi: hic audienda sunt verba ipsamet Cæsaris, & omnium Principum. RECITA:

„ Intelleximus clementissimâ benevolentiam, quòd decisio controversiæ religionis, ad
 „ CATHOLICUM, seu OECUMENICUM,
 „ LIBERUM, & CHRISTIANUM Concilium, quod jam nostrâ diligenti curâ & studio
 „ ad Tridentum indictum & inchoatum est,
 „ rejici, legitimè servari & continuari debeat.

RECITA QUÆ PAULO
 post sequuntur:

„ Curabimus etiam clementer, ut hi qui
 „ Augustanæ confessioni adjuncti sunt, & legati eorum, in tali Concilio comparere possint:

sint: & salvo conductu muniantur, ut tuto
 ad illud accedant, in illo commorentur, & i-
 terum ad loca tuta revertantur, ac pro SUFFICIENTE NECESSITATE AUDIANTUR: adeoq; tota tractatio & conclusio pie & Christiane, secluso omni affectu, juxta divinam & sacram scripturam tractetur & concludatur, & ut Christiana & utilis reformatio spiritualium & secularium instituatur ac omnis prava doctrina & abusus, prout decet, abrogetur.

In summa, tale Concilium, quale hic descriptum est, Principes, status & ordines Imperii expetiverunt, & decreverunt habendum esse Tridenti, & tali Concilio se libenter subjecerunt.

Atq; attendat Sanctitas vestra, in hoc decreto repetitum esse hoc verbum, Tale, tale enim, & non aliud concilium voluere, cui se subdicere deberent. RECITA:

Quare clementissime speramus fore, ut omnes & singuli status, privatim & publice sese TALI catholico concilio adjungant & subjiciant: ac concordem ejus decisionem & determinationem obedienter expectent, & suscipiant: necnon ei pareant, & obsequantur. adeoq; hac in re vestigiis sanctorum Patrum, & majorum, qui in causis religionis suum semper refugium ad sacrosanctum Con-

„ ciliū habuerunt, libenter insistant. Quem-
 „ admodum etiam Electores, Principes, status
 „ & ablentium consilarii ac legati, pro majori
 „ parte eo modo, quem jam commemoravi-
 „ mus, obediēter consenserunt, & receperūt
 „ sese TALI inchoato concilio subiecturos, &
 „ decisionem ejus expectaturos, ac ei obsecu-
 „ tuos. De qua re unanimiter nobiscum con-
 „ senserunt. Quod eorum officium, nos sin-
 „ gulari clementia agnoscimus.

His Comitiorum decretis, atq; his condi-
 tionibus (quæ quidem sunt maximi momē-
 ti, si quis eas intelligat, & perpēdat) primūm
 Paulus III. deinde Julius III. itidem, ad hæc
 totum ipsum concilium Tridentinum diser-
 tē consensit, ac sanctē promisit, tale concili-
 um velle celebrare, quale in his decretis præ-
 gnantissimis expetitum est à nostris adverfa-
 riis.

Tametsi verò nullo cum fructu solemus
 repræhendere ea quæ præteriēre, ut quæ mu-
 tari amplius non possint: nihilominus ego
 quidem (liceat modò liberè loqui, ac reverē-
 ter, ut sanè debeo) non possum laudare, lega-
 tos hujus Sanctæ sedis, præsertim Fanensem,
 & Dandinum, Cardinales, qui comitiis in-
 tererant, non restitisse, quin probasse decreta
 illa: quæ si à nobis observentur, perinde erit,
 ac si ingentem ignem in ipsa Rom. Ecclesia
 accen-

accendamus, & suamus ut omnia nostra cō-
flagret atque absumat.

Hoc quidem verissimum esse, ostendam
luce meridiana clarius. At vicissim si recu-
saverimus velle servare decreta ipsa, & pro-
missa exsoluere, aliamq̄, voluerimus inire ra-
tionem Concilii celebrandi, & diversam at-
que alienam ab ea quam ipsi Principes, sta-
tus & ordines Imperii expetiverunt, & ser-
vandam statuerunt, & præsertim si tale vo-
luerimus celebrare, quale hæctenus fecimus:
bone Deus! quot, & quàm graves querelas,
quot motus & tumultus oriri prospicio?
primùm quidem in Germania, deinde etiam
in aliis provinciis, id quod vehementer ve-
reor. Quamobrem aut necesse fuerit tale ce-
lebrare, quale Comitium statuerunt, & quale
duo summi Pontifices & Concilium ipsum
promisit: aut omnino abstinere. Verùm
quum tale nullo modo celebrandum sit (ni-
si velimus Rom. Ecclesiam funditùs eversã)
erit omnino ab utriusq̄ celebratione absti-
nendum.

Hic verò operæ precium fuerit, ut quan-
do quidem audivimus, quo pacto nostri ho-
stes interpretentur Comitiorum decreta:
audiamus etiam, quo pacto á nostris intelli-
gantur. Quin necesse est, ut hoc faciamus,

quò evidentius possint apparere maximæ illæ difficultates, quas affirmo futuras in recolligendo atq; absolvendo concilio: opposita enim juxta se posita magis elucescunt. Itaque, nostri cùm audiunt Protestantes solere adducere Comitiorum decreta, à quibus dissentient ne latum quidem unguem velle discedere: respondent, Comitiam non posse statuere normam & regulam conciliis celebrandis, sed eam petendam esse à summis Pontificibus.

Hoc verò nihil aliud est, quàm novam invidiam, novumq; odium & rabiem in nos concitare, non modò eorum Principum qui à nostra doctrina dissentiunt, sed eorum etiã qui consentiunt nobiscum, & partes nostras hæctenus magno zelo tutati sunt. In primis verò Caroli V. Imperatoris, ac Ferdinandi Rom. regis, animos à nobis hoc responso alienabimus. Nam laborârunt illi quidem strenuè, ut concilium, quod alia quædam comitia statuerant esse in ipsâ Germaniâ celebrandum, Tridenti potius celebraretur, magno quidem rerum nostrarum commodo. Et cogitare debemus, quàm deceat scilicet, pro tali beneficio dicere nunc nos nolle, quod Augustana comitia deliberârunt, observare.

Verè quidem sentiunt nostrates, cùm dicunt,

cun
fare
ang
re u
rùm
con
vide
pos
her
est.

V
stri
peri
invi
fint
funt
fed
UN
dun
non
ver
lige
le so
thol

CH
pret
ptiz
illis

203

cunt, nulla comitia, nulla concilia, nullos Cæsares, nullos Reges, nullos neq; sanctos, neq; angelos posse præcipere, aut legem ullam dare universalis Ecclesiæ pastori & capiti. Verùm, quum jam ipsum caput, atq; ipse pastor consenserit, unà cum toto ejus concilio: non video, quomodo sine magna turpitudine possit verbo suo deesse, & se à promissis retrahere. Certè fides etiam hostibus servanda est.

Verùm ad ipsa Comitiorum decreta nostri habent alias responsiones, minus quidē periculosas ad concitandam nobis majorem invidiam: sed aliorum judicio relinquo, quàm sint firmæ & ingenuæ. Sic enim dicere soliti sunt: Esto, servemus comitiorum decreta, sed hoc sensu. Quando legis verbum illud **UNIVERSALE** concilium, non intelligendum est universale esse debere etiam illis qui non sunt Episcopi, & illis etiam qui sunt adversarii atq; hostes Rom. Ecclesiæ: sed intelligendum est restrictivè (ut ajunt) universale solis illis qui sunt Episcopi, & Episcopi catholici & orthodoxi.

Quando verò occurrit verbum illud **CHRISTIANUM** concilium, non ita interpretandum est, quasi omnes illi qui sunt baptizati, possint ad conciliū venire: sed quòd illis legibus celebrandum sit, atq; illis modis,

quibus imperat sedes Apostolica Rom. quæ Christiana nuncupatur (ut verè est) ad differentiam Lutheranorum, schismaticorum; atq; hereticorum. at nostræ leges gravissimè cavent, ne tales admittantur.

Deinde quando audis, judicia & diffinitiones fieri debere secundum sacram & divinam scripturam, intelligendum est, ut nulla ejus scripturæ pars debeat repudiari, neque Machabæi, neq; ulla prorsus. Deinde, secundum vulgatam versionem. Tertio, juxta illum sensum, quem hæctenus illi tribuit Romana Ecclesia, cui scriptura ipsa est subjecta: & non secundum sensum & expositionem Lutheranorum.

Præterea, quod ad patrum doctrinam attinget, non ita exponendum, ut intelligas de veteribus illis, Hilario, Cypriano, Augustino, Ambrosio, atq; hujusmodi: sed de divo Thoma, de Scoto, atq; aliis id genus Scholasticis doctoribus.

Ad hæc, quum legis faciendam esse reformationem & abrogationem abusuum & omnis pravæ doctrinæ: ita interpretandum erit, quòd tota illa nova Lutheranorum doctrina debeat radicitus extirpari: & leviculi quidam abusus, qui sunt in Romana Ecclesia, tolli.

Deniq; quum legis, Protestantes, sive adjunctos

junct
Con
ligi,
enda
scop
tra e
do C
etian
ut tu
ctare
null
In
terpe
posse
um J
ferti
um g
stris
brun
erat,
non
bat:
bavi
ejus
E
nio
dog
cont
rire

unctos confessioni Augustanæ, debere in Concilio adesse: hoc non potest aliter intelligi, nisi quòd possint esse presentes ad audiendam eam condemnationem, quam Episcopi summi Pont. vicarii in sessionibus cōtra eos pronunciare voluerint. Insuper quādo Comitia addunt, illos audiendos esse: hoc etiam sano modo intelligendum est, nimirū ut tum demum audiantur, si voluerint retractare, & supplices veniam petere: alioquin nullo modo erunt audiendi.

In hunc modum, Pater Sancte, nostri interpretantur decreta illa Comitiorum. Quin possum verè dicere, etiam prædecessorem tuum Julium III. ita fuisse interpretatum: præsertim duo hæc capita posteriora, quæ omnium gravissima sunt. Nam quum unus ex nostris, ejus judicio & censuræ summisisset librum, quem de his maximis rebus editurus erat, in quo inter cætera de Lutheranis, qui non essent audiendi, nisi recantaturi, differebat: illum inquam Julius edicto brevi approbavit, qui & palàm circumfertur. Sed verba ejus libri audiamus. RECITA:

Ex his quæ suprà dicta sunt, in hanc de venio conclusionem, quòd, ut aliquod eorum dogmatum, super quæ hæretici disputare contendunt, diffiniatur, Concilium convenire minimè necesse sit: quippe quæ olim

„ diffinita fuerint. Secus enim si ageretur, tot
 „ Sacrosanctorum conciliorum autoritas
 „ (quotquot in Ecclesia Dei fuerunt) in du-
 „ bium revocaretur. Non tamen dico, Conci-
 „ lium non esse convocandum: at non in eum,
 „ ut suprà dictum est, finem. Quin potius, ut
 „ qui temerè locuti sunt, aut dicta recantaturi
 „ veniant, aut eorum IN AUDITA CAUSSA,
 „ in executionem jam ordinatarum constitu-
 „ tionum heretici declarentur, & condemnen-
 „ tur.

-iii Hic jam potest evidentissimè apparere,
 maximam de interpretatione & sensu verbo-
 rum Comitiorum controversiam inter nos
 & Lutheranos futuram esse; antequam possi-
 mus Concilium instaurare, & de articulis dis-
 ferere. Verè possumus dicere, magnum Cha-
 os inter positum esse inter nos & illos, ut ne-
 que nos possimus ad eos, neque illi ad nos
 transire.

Quin aliud addam, magni ponderis sanè
 nempe eos esse ita pertinaces, ut etiam pro-
 testati fuerint, se nolle à decretis comitiorū
 discedere, sed velle prorsus illis inhærere ju-
 xta eorum verba & sensum. Hæc quæ nunc
 recitabuntur, sunt verba eorum nunciorum,
 quos D. Dux V Virtembergæ & Respub. Ar-
 gentinæ Tridentum miserat, obtulerant e-
 nim scriptum, in quo ita loquebantur. RE-
 CITA: Con-

juxta
 Quar
 Comi
 Et
 eausse
 stros a
 missi
 TIO
 forma
 one ea
 Reipa
 logis et
 ac ex
 & in
 Actu
 Ve
 gente
 los: q
 minu
 queq
 V. Sa
 ne ve
 Conc
 mus, c
 cili p
 atq; i
 confi
 & pro

Conventus Tridentinus non videtur servari juxta formam recessus Comitiorum Imperialium. Quare illustrissimus Princeps noster petit, ut illis Comitibus satisfiat.

Et multo expressius paulo post. RECITA: Ne eausse tractatio longius extrahatur, Theologos nostros ad suscipiendum negotium, cujus causa huc missi sunt, cum hac SOLENNI PROTESTATIONE exhibemus, quam omni meliori modo ac forma facimus, ut hac ipsa Theologorum exhibitione ea omnia, quæ Principi nostro ac suprascriptæ Reipub. & universæ causæ, & memoratis Theologis & nobis de jure communi, aut consuetudine, ac ex decretis Augustanis competunt, integra nobis & inviolata, ac in primis reservata esse velimus.
Actum Tridenti. 22. Martii, 1552.

Verum hinc habeo, quam addam, aliam ingentem difficultatem, quæ est inter nos & illos: quæ si esset prorsus sola, posset nihilominus impedire celebrationem Concilii: quæq; sola hæc tanti esse mihi videtur, ut illa V. Sanctitas debeat impelli in eam sententiã, ne velit amplius verbum unum facere de Concilio celebrando. Nos omninò ita sentimus, quòd decreta in prima & secunda Concilii parte, Episcoporum qui illic affuerunt, atq; istius Sanctæ sedis autoritate sancita & confirmata, debeant remanere pro conclusis & pro ratis, ita ut contra ea nunquam ampli-

us liceat os aperire. Et profectò in illis ja-
sta sunt & roborata omnia fundamenta, quæ
majoris momenti sunt. Quæ si stabunt, præ-
sertim verò illud quod ad Traditiones atti-
net, in sessione tertia: nos planè potiti su-
mus victoria in omnibus ad eò articulis. Pro-
pterea nobis, omnibus nervis elaborandum
est, ne ea suo loco moveantur, néve in dubiũ
revocentur. Sed Lutherani longè aliud co-
gitant. Nam si vestra S. Concilium renova-
re statuerit, ipsi hoc in primis elaborabunt,
ut contra illa omnia decreta possint loqui,
atq; in dubium revocare, & veluti convelle-
re fundamenta, quæ tam magno labore jeci-
mus. Quin usque ad eò sunt temerarii, ut
Tridenti scriptum quoddam obtulerint, in
quo agebant se velle probare, nostra illa de-
creta esse aliena à sacris literis. Ac ne videar
somnia, aut è meo capite confingere tam
magna impedimenta & difficultates, profe-
renda sunt ipsamet eorum verba. RECITA:
Hæc sunt nunciorum illorũ ipsa verba, quo-
rum paulo antè meminimus.

*In Comitibus Imperialibus decretum fuit, quòd
concilium Tridentinum continuari, & omnia
Christianè, honestè & congruenti ordine tractari
debeant. Quæ verba illustrissimus Princeps no-
ster nunquam aliter intellexit, quàm quòd concili-
um Tridentinum antea Anno M D XLV I. in-
stitum-*

stien
dum,
habea
entia,
impor
constu
Q
quod
In
no M
hujus
coccin
& con
gallus
bus, a
tur ill
beant
cernen
arbitr
bis leg
sensus
At
se VV
Arge
tierin
sessio
ta, pro
tius, u
ribus

stiterunt, non sit ita continuandum & proseguendum, ut decreta in eo facta pro conclusis & pro ratis habeantur. quæ enim esset hæc honestas & congruentia, ea decreta pro ratis & sacrosanctis habenda imponere, quæ, parte altera nondum audita, sunt constituta?

Quin paulo post durius agunt. RECITA quod sequitur:

In sessionibus non solum ejus Concilii, quod Anno MD XLVI. institutum est: verum etiam hujus quod jam continuatur, decreta multa sunt cõcinnata. ALIENA à SACRIS LITERIS, & confirmati multi veteres abusus: sicut Theologus illustrissimus Principis sese coram idoneis iudicibus, aut arbitrariis declaratos recipiunt. Perit igitur illustrissimus Princeps, ut talia decreta non habeantur pro conclusis & ratis, sed tantum pro discernendis & judicandis, donec idonei iudices & arbitri ex utriusq; partis consensu eligantur, & ab his legitima juxta sententiam sacre scripture & cõsensus vere Ecclesie cognitio fiat.

At opere precium est scire, non solum fuisse V Virtembergensem Ducem, nec solos Argentinenses, qui missis certis nunciis, petierint in Concilio, ne decreta in prioribus sessionibus tuo jussa, tuaq; autoritate sancita, pro conclusis & ratis haberentur: sed potius, ut reassumerentur, & denuò illis presentibus & contendentibus suo Evangelio tra-

Etarentur: & qui etiam ausi fuerint affirmare, ipsa tua decreta esse à sacris literis & à veritate aliena. Sed extitisse etiam nuncios Mauriti Saxorum Ducis, Electorisq; qui in proximo Germaniæ bello occubuit quidem: sed cui successit Augustus germanus frater, nihilo melior, nisi fortè inimicior & acerbius tibi futurus sit, quod valde vereor. Illi igitur nuncii eadem, quæ VVirtembergenses atq; Argentinenses, adversus tua decreta enixè postularunt, affirmaruntq;. RECITA ex oratione ipsorum Saxorum (hi sunt, Pater sancte, qui omnium primi à tua obedientia & potestate ante XL. ferè annos, Luthe-ro illo filio perduto, duce atq; autore, desce-verunt) audi eorum verba, quæ magistri illius tetrum odorem erga nos luculenter referunt.

Tertium est, quod relatum fuit Principi nostro, quòd illa decreta, quæ superioribus annis hic Tridenti tractata fuerunt, pro decretis conciliaribus, & firmis conclusis habere: articulos qui controversiam habent, & in quibus, qui Augustana sunt confessionis, dissentiunt, non reassumere, neq; audire suos super illis velitis. Quum verò declaratum illis sit, pleraq; eorum decretorum (etiam in precipuis capitibus religionis, nostram justificationem concernentibus) errores non leves continere, qui per sacram scripturam ostendi ac declarari possint. summe

mè ne
cariss
super
positi

V
cilio
affirm
pui
cont
liceat
verfu
citan
culca
lia qu
ritati
per se

Qu
ta in
reassu
fession
ration
tur:
rit, ad
num
At
in con
dubiu
Conc
to ver

*me necessarium & ipse, & pleriq; alii semper judi-
carunt, & adhuc judicant, ut sui etiam Theologi
super illis decretis audiantur, & sic in controversia
positi articuli reassumantur.*

Vide, qua arrogantia in sacrosancto Con-
cilio audent homines barbari atque hæretici
affirmare, in tuis decretis, atq; adeò in præci-
pui capitibus religionis, errores non leves
contineri: & tam impudenter petere, ut illis
liceat loqui & debacchari adversum ea, & ad-
versum te, tuumq; Concilium. Sed perge re-
citando, nam hoc rursus repetunt atq; in-
culcant homines importunissimi: quin & al-
lia quædam addunt satis acerba, & tuæ auto-
ritati potestatiq; prorsus adversantia, ut sem-
per solent.

*Quapropter orat Princeps noster, ut illa decre-
ta in articulis qui controversiam habent, omnino
reassumantur: & tum sui, tum alii Augustana cõ-
fessionis Theologi super illis plenè audiantur, eorum
rationes & argumenta ex sacris literis expendan-
tur: quod pium & verbo Dei consentaneum fue-
rit, admittatur, atq; suffragiis omnium natio-
num Christiani orbis laudetur, recipiaturq;.*

Attende, ut non solùm urgeât, ut rursus
in eorum gratiam (scilicet) revocentur in
dubium, ea quæ & prius ante postulatum
Concilium erât vera & firma, & postea mul-
to veriora & firmiora autoritate œcumenici

Concilii sunt reddita: sed etiam ut demus operam, quò omnes totius Christiani orbis nationes conveniant, & novum Concilium instituamus: quasi verò synodorum auctoritas atq; existimatio pendeat à magno aliquo numero Episcoporum & Patrum, & non prorsus abs te uno, qui habes plenitudinem potestatis: ita ut etiam sine ullo coacto concilio potueris Roma, aut ubicunq; voluisses, per te ipsum statuere ea, quæ fuerunt nuper Tridenti statuta. Sed audi, quàm importunis verbis id exagitent, quòd valde pauci Episcopi, pauciq; Legati statuum Germaniæ hæctenus in Concilio interfuerint. **RECITA.**

Ad hæc, sunt ista decreta tunc tractata, quando paucissimi eorum, qui ad Universale, liberum & Christianum Concilium requiruntur, pauci Prelati, pauciq; Legati statuum Germaniæ presentes fuerunt: ut patet ex catalogo nominum eorum, qui unà cum illis decretis, typis excusus in publicum prodiit. Unde etiam pro decretis universalis Concilii illa decreta haberi, aut venditari nequaquam possunt. Nam ad universale, liberum & Christianum concilium requiruntur, universæ totius Christiani orbis nationes: & ut omnes securè admittantur, libereq; audiantur, ut eorum rationes, causæ, & argumenta secundùm sacram scripturam expendantur, dijudicenturq;. Alioqui ea que habentur congregatio, nomen universalis, liberi & Christiani

stian
cern
ans c

tur,
erib
laud
toti
Trid
ferti
san
mè
cili
ejus
deci
greg
ven
rex
Qu
Ecc
men
mar
diffi
ciat
cent
ami
pro
affir
Cæf

Stiani concilii minimè mereatur: & quod in ea decernitur, pro decretis œcumenici, liberi & Christiani concilii haberi, ac acceptari minimè potest.

Proh sancte Jupiter, quis non stomachetur, quum hîc audiat, Saxones nescio quos, eribus literis malè imbutos, arrogare sibi laudem doctrinæ atque eloquentiæ: ac in totius orbis terræ clarissima luce, hoc est, in Tridentino Concilio audere prodire, & disertissimis verbis pronunciare, tum sacrosanctum Concilium, in Spiritu sancto legitime congregatum, non mereri nomen Concilii universalis, liberi & Christiani: neque ejus decreta habenda & suscipienda esse pro decretis legitimi Concilii? quin eam esse cōgregationem paucorum hominum, aut conventum, ut etiam Henricus II. Galliarum rex appellavit: de quo non nihil suo loco. Quanquam enim in tuenda fide, atque tua Ecclesia catholica omnino rectè se gerat: tamen nimis aliquando amare nationem Germaniæ, nimisq; ei velle favere vitus est. certè dissimulare non potest, quin illam magnificiat. Quod de re eum abs te admonendum censeo, per occasionem, ne ulterius pergat in amicitia illorum hominum colenda. nam profectò addit illis animos & spiritus. Quin affirmo, potuisse prædecessores tuos unà cum Cæsare, eos prorsus sub juga mittere: nisi ab

*Henricus II
Gal. Rex.*

amicitia & potentia Galliarum regis, fuissent illis veluti de manibus erepti. Sed ad rem.

Quum haecenus in medium attulerim eas difficultates (quamquam non adhuc omnes) quæ impediunt, ne Concilium possit instaurari atq; absolvi: deducam rem ad proxim ipsam. Hæc enim rem clarius indicabit, quàm sola decretorum verba. Vestra S. adornabit synodum: imperabit Episcopis, ut Tridentum se conferant: mittet legatum, & assistentes. Protestantes itaq; ubi hoc audierint, mittent ex suis aliquot, qua de re non est dubitandum: & mittent ex astutioribus & doctioribus. Atq; hi arripiant decreta illa comitiorum, in quibus esse scriptum audivimus; **PRO SUFFICIENTI NECESSITATE AUDIANTUR:** urgebuntque & petent se admitti in eum locum, ubi patres solent sedere, ut loquantur quæ velint. Quid tunc vestra S. agendum putabit? Quid Legatus? quid Concilium faciet? Rejicietne illos, an admittet? Si rejiciat, illi rursus protestabuntur, formam traditam à comitiis Augustanis non servari: & propterea eos, atq; omnem Germaniam jam non obligari amplius, ad suscipienda decreta ulla nostri Concilii, & discedent Tridento: atq; per totam illam regionem missis certis nunciis, sparsisque libellis, quin & clamantes pro concione, traducent

duce
dium
non
sede
sed e
senti
nerat
pert
Q
rit in
va ad
ullan
& or
& Co
Pauli
nè ti
conci
qui ex
soluc
comp
nostr
quo e
Conc
cont
omni
Di
video
tam il
repuc

ducent nos, & in magnam invidiam atq; odium Principum & populorum adducant, non modò eorum qui jamdudum à vestra sede atque obedientia sese abalienaverunt: sed eorum etiam, qui adhuc nobiscum consentiunt. Nam horum simul autoritas vulneratur, quum decretorum comitia tam aperte contemnuntur.

Quòd si concilium nihilominus perrexit in suo instituto, & cum solis Episcopis nova adhuc decreta voluerit concinnare, nec ullam rationem habere Principum, statuum & ordinum Germaniæ, nullam decretorum & Comitiorum, nullamque promissorum Pauli tertii, Julii tertii, & totius Concilii: sanè timendum erit, ne magni aliqui motus concitentur: præsertim cum non deerunt, qui excitaturi sint, & admonituri, fore ut absoluto Concilio, velimus rem armis agere, & compellere omnes ad parendum decretis nostris. Quis scit, si fortè tunc erumpat aliquo ex loco Mauritius quispiam, qui totum Concilium, quod illi insimulabunt veluti contemptorem & hostem Comitiorum, & omnium ordinum Germaniæ, opprimat?

Dicet tua Sanctitas: Agnosco periculum, video nimis aperte contemnendam fore totam illam nationem & comitia Imperialia, si repudiaverimus eos qui inde advenerint, &

suam sententiam inter Episcopos dicere vo-
 luerint: itaque jubebo illos admitti, ut quod
 voluerint, liceat loqui. Ego verò cōtrā. Bea-
 tissime Pater, planè affirmo, nihil posse à no-
 bis fieri periculosius & perniciosius, quàm si
 sinantur in Concilio, quæ voluerint, loqui.
 Negare enim non possumus, quin inter i-
 pso multo sint solidè docti, & diu versati at-
 que exercitati in ipsis Bibliorum fontibus,
 & in veteribus scriptoribus: norunt etiam
 linguas, Græcam atque Hebræam. Itaque si
 hi congregiantur cum nostratibus, multa
 certè imminebunt pericula. scis enim, tuos
 Episcopos esse ferè literarum rudes, volu-
 ptati autē ac deliciis deditos. In summa, mal-
 lem ego quidem congressum & pugnam il-
 lam prudenter declinari. Quid putas? Illi
 rectà invaderent & impeterent tuum prima-
 tum, rectà missas, rectà purgatoriū. An pos-
 ses pati hæreticos illos, acerrimos nominis
 tui hostes, debacchantes, & convicia in tuam
 potestatem, tuæque sedis sacrosancta do-
 gmata, magna acerbitate evomentes? An ne-
 scis, aliquot ex nostris Episcopis cœpisse
 clanculum laborare eo morbo? Dii immor-
 tales, qua lætitia hi perfunderentur, quum
 tale spectaculum viderent! forsitan etiam
 non possent continere amplius eas voces,
 quas diu magno labore continuerunt: atque
 hō

hos a
 mnia
 rum
 illa p
 creta
 Sand
 mag
 Rog
 num
 & dif
 perer
 lias r
 re. I
 sum c
 tinge
 sius, r
 tione
 um in
 admi
 sanct
 potes
 ligen
 inipe
 ma ru
 Igit
 que p
 admi
 mitte
 te fug

hos alii consequerentur, & turbarentur omnia magno cum periculo nostrarum rerum omnium. Quin etiam si post pericula illa possemus tandem consequi, ut omnia decreta illic sancirentur, quemadmodum tua Sanctitas iusserit: tamen in ipsa victoria, magna futura essent detrimenta conjuncta. Rogas? Multi enim tum ex Episcoporum numero, tum ex aliis, ab illis concertationibus, & disputationibus hæreticorum maculas susciperent: atque in Italiam, in Hispaniam, in Gallias reportarēt, quas nemo posset facile eluere. In summa, quicquid alii sentiant, ego in easum opinione, nihil posse hac tēpestate contingere Sacrosanctæ Rom. Ecclesiæ damnosius, nihil quod possit ejus laudem atque existimationem magis labe factare, quam si Concilium instauratum fuerit, & Lutherani fuerint admissi ad dicendam sententiam. Cave Pater sancte, cave hoc ne fiat: contine, quantum potes, cursum fluvii intra suos aggeres: & diligenter cura, ne hi perfringantur, aqua uero in impetus exundent, & longè lateque amœnissima rura devastent atque evertant.

Igitur quum summa videas pericula utrinque pendere, siue instaurato Concilio non admittas Lutheranos, siue volueris eos admittere: utrunque periculum tua dexteritate fugias, id est, mittas cogitare de Concilio.

Hactenus puto me gravissimis argumen-
tis usum fuisse, & quæ valde potuerint tuam
Sanctitatem impellere in eam sententiam, in
qua ego sum: sed adhuc alia sunt, & quidem
fortiora, (vide quid dicam) quæ ipsa quoq;
paucis explicabo. Nos volumus (sicut debe-
mus) ad unguem servare legem à nostris ma-
joribus traditam: qua cavetur, ut Papa, Car-
dinales, Episcopi, & quidam alii sint iudices
& definitores eorum articulorum, qui in sa-
cro sanctis Conciliis tractantur. Legem RE-
CITA:

*Aderunt in Conciliis, ad statuendum, Rom.
Pontifex, tanquam rector & moderator totius Ec-
clesiæ, pastor gregis Dominici, & omnium Episco-
porum Episcopus: sacer Cardinalium senatus, pa-
triarcha, primates, Archiepiscopi, Episcopi, Abba-
tes, quibus non immerito ordinum religiosorum ge-
nerales magistri additi sunt: deniq; omnes prala-
ti, qui secundum formam juramenti, quod præstan-
t, quum ad dignitates promoventur, ad Synodum ve-
nire tenentur. Alii verò differendi, instruendi, con-
sulendi ve gratia poterunt interesse: non tamen in
sessionibus publicis, induti sacris vestibus sedebunt,
neq; sententiam dicent.*

Hac lege nihil potest esse sanctius. Itaque
omnes Lutheranos & Protestantes non con-
venit in sessionibus adesse, & sententiam di-
cere aut judicare. non modò quia ipsi neque
Episcopi,

Episcopi
gistri
tici.

collo
possi
nà cu
per an

At

admi
nibus

cum

unà c

niant

gitari

induc

hæc?

Ne

nostr

ecs eff

mum,

Comi

Princ

Omn

Conc

quant

TRA

Chris

& Co

his ve

Episcopi, neq; Abbates, neq; generales magistri sunt, imò privati & laici: sed quia heretici. quo nomine neque ad privata quidem colloquia sunt admittendi: tantum abest ut possimus salva conscientia eos recipere, ut unà cum nostris Episcopis iudicium ferant super articulis controversis.

At nihilominus ipsi contrà, oportere se admitti, non solum ut intersint disputationibus, tractatibus & consultationibus, unà cum Catholicis Episcopis: verùm etiam ut unà cum illis deliberent, concludant, & definiant. Quid potest absurdius dici, aut excogitari? quæ posset esse pestis capitalior, quam induceres in sessiones Episcoporum, quàm hæc?

Num verò ipsi hoc dicant, se velle unà cū nostris Episcopis de omnibus articulis iudices esse, nullo negotio possum probare. Primum, ex verbis illis quæ jam fuere recitata ex Comitibus Augustanis. Nam posteaquam Principes, Status & ordines Imperii dixerunt, Omnes adjunctos confessioni Augustanæ in Concilio interesse oportere, & debere audiri quantum opus sit, mox subjungunt: **TOTA TRACTATIO & CONCLUSIO**, piè & Christianè fiat. & statim post: **TRACTETUR & CONCLUDATUR**. An putemus, Comitibus his verbis totam conclusionem & iudicium

articulorum controversorum, solis nostris
 Episcopis commisisse? Utinam fecissent: sed
 non est ita. quin animadverto, ob hanc cau-
 sam Germaniam ipsam se libenter subjecisse
 decretis Concilii Tridentini: quia sperave-
 rat fore, ut ejus Theologi & Legati reciperentur,
 ut cum illis de tota causa tractarent, &
 consultarent: denique, quod unam possent ju-
 dicare & diffinire. Quod si quis vicissim eo
 tempore, quo Comitia agebantur, dixisset:
 Vos Germani tantum poteritis loqui, & ex-
 onerare conscientiam vestram; Episcopi ve-
 rò missi à summo Pontifice, soli inter se deli-
 berabunt & judicabunt, quicquid illis vide-
 bitur: proculdubio respondissent, se id non
 fuisse luros.

Deinde habeo in promptu aliud scriptum
 adversariorum, in quo disertissime pronun-
 ciant, se nolle ullo modo pati, ut soli nostri
 Episcopi sint hujus causæ judices. Quum
 enim nuncii VVirttembergenses atq; Argen-
 tinenses, Tridentum venissent, vidissentque
 solos Episcopos vocari in sessiones, & solos
 esse constitutos judices, ita cœperunt obtur-
 bare. RECITA:

*Petit illustrissimus Princeps, ut talia decreta
 non habeantur pro conclusis & ratis, sed pro discer-
 nendis & judicandis: donec idonei judices & arbitri
 EX UTRIUSQUE PARTIS CONSENSU*
oligan-

*eligant
 era scr
 fiat*

*Ha
 ta, q
 qua L
 re & c
 pertio
 C I T A*

*P
 dienda
 sunt or
 sensu
 trover
 Cathol
 quum*

*maxim
 pugnat
 & eor
 alius ob
 tate fier
 causa,
 pro id
 Petie
 rem re
 arbitri*

*D
 possit
 dicibu*

eligantur: & ab his legitima, juxta sententiam Sacra scriptura, & consensus vera Ecclesia, cognitio fiat.

Hæc verba etiam paulo antè fuere recitata, quum ageretur de decretis jam sancitis, quæ Lutherani cuperent in dubium revocare & convellere. Quin alia habeo, multo aptiora, nempe eorundem nunciorum. RECITA:

PRIMUM GRAVAMEN. Quòd ad audiendam Theologicam explicationem nondum sunt ordinati & constituti ex utriusq; partis consensu idonei iudices sive arbitri, qui de presenti controversia religionis legitime, juxta verum veram Catholicæ Ecclesiæ consensum cognoscant. Nam quum illustrissimus Princeps noster intellexerit, maximam partem doctrinæ suorum Theologorum pugnare cum doctrina & sententiâ Pontificis Romæ & eorum Episcoporum qui sunt illi juramentis & aliis obligationibus addicti: nullo jure, nulla equitate fieri potest, ut Pontifex & Episcopi ejus in hac causa, in qua ipsi sunt pars, sive accusatores sive rei, pro idoneis iudicibus aut arbitris cognoscantur. Petit igitur illustrissimus Princeps noster, se certiorrem reddi, quinam futuri sint hujus rei iudices aut arbitri.

Dixi nihil esse, quod æquè impediatur, ne possit Concilium celebrari, atq; hanc de iudicibus controversiam, Et ita res est: forsitan

tan

tan possemus inire aliquam rationem concordia in reliquis punctis & discriminibus, quæ jam attigi. Sed in hoc nulla prorsus speranda est. non si adsint tibi, & omnia sua cõsilia conferant, omnium sapientissimorum hominum ingenia, quæ unquam post orbem conditum fuerunt. Tu nuper Gropærum Theologum Cardinalem creasti: duntaxat, quia sperasti illum posse tibi indicare, qua via, quæ veratione Germania, ejus patria, pendenda, & compellenda sit sub tuam obedientiam. Quære ergo ab hoc, sitne ulla via ad concordiam, in articulo de iudicibus Concilii? Affirmo enim, nullam monstraturum. Posset quidem ex patribus primatum istum tueri: hanc enim laudem illi tribuunt. Sed mallem posset ex Scriptura, ad quam Lutherani semper provocant: quamque nos vicissim ita timemus, ut cogamur dicere eam esse insufficientem. Ad rem: Nulla est, inquam, spes concordia in eo articulo. Planè enim scimus, te non esse permissurum, ut Lutherani possint ullum iudicem aut arbitrum in hac religionis controversia nominare, aut ordinare. Absit, ut tale monstrum videamus: nempe ut summus pastor, & caput totius universalis Ecclesie, usque adeò demitteret sese, tanto omnium rerum suarum periculo & dedecore, ut suis hostibus capitalibus

bus h
secum
ticulari
suo p
cam?
sarii t
dum,
porte
major
certifi
esse p
judice
non l
ces eff
igitur
tam m
reliqu
mnen
cilio,
Ve
mnib
nond
mom
pe, Pa
patres
Augu
fisse, q
lebra
re, qu

bus hęc potestatem & honorem deferret, ut
secum possent de rebus gravissimis, & de ar-
ticularis divinis & sacrosanctis, atque adeo de
suo primatu iudicium ferre. Audis quid di-
cam? de ipso primatu vellent iudicare adver-
sarii tui, at quid aliud ab eis esset expectan-
dum, quàm quòd pronuntiarent, te exui o-
portere hac potestate & dignitate, qua nulla
major existit inter nos mortales? Et rursus
certissimum scimus, Lutheranos nunquam
esse permissuros, ut soli nostri Episcopi sint
iudices. Audivimus enim nunc quid dixerint,
non licere Pontifici & ejus Episcopis, iudi-
ces esse in eadē causa, in qua sunt pars. Quid
igitur in tanto discrimine, & tanta discordia
tam multorum & tam gravium articulorum,
reliquum est ut statuas, nisi ut oculos, atq; o-
mnem proflus cogitationem avertas à Con-
cilio, & alia cures?

Verum nunc in mentem venit, me ex o-
mnibus, quę dixi, unum prætermisisse: quòd
nondum probaverim, quod ipsum maximi
momenti est, ideo nunc probare enitar: nem-
pe, Paulum III. atque Julium III. & omnes
patres Concilii consensisse in Comitia illa
Augustana: & ferè tale Concilium promi-
sisse, quale Lutherani efflagitant. Itaq; si ce-
lebrandum fuerit, non poteritis vos retrahe-
re, quo minùs illis proflus conditionibus ce-

lebretis, quæ sunt autoritate Comitiorum constitutæ, & à nobis promissæ. Principiò, cū Comitia ipsa fierent, Legati hujus sanctæ sedis semper intererant, videbantq; & intelligebant omnia quæ illic tractabantur: præsertim ea quæ ad religionem, & quæ ad celebrationem Concilii attinebant. Itaque audierunt & legerunt decreta illa, & non restiterunt: quin non multo post peractis Comitibus anni M D XL VIII. Paulus III. edidit indictionem: & decretis illis planè consentiens, & de illis mentionem faciens, Concilium Tridentum convocavit. Deinde peractis Comitibus anni M D LI. Julius statim suam edidit indictionem, atq; in eandem urbem Concilium recollegit, quæ fuerat ab ipsis Comitibus expetita. Annon est hoc consentire, & approbare?

Confirmo hoc fortiore adhuc argumento, atque, ut mihi quidem videtur, invincibili. Patres synodi Tridentinæ nihil unquam egerunt inconsulta vestra Sanctitate, & illius injussu: (neque enim decet membra quippiam agere, quod capiti non placeat.) illi itaq; exhibuerunt saluum conductum Protestantibus, in quo polliciti sunt, omnia ea se servaturos, quæ Augustana Comitia statuerunt: & obstrinxerunt se omnibus illis pœnis, in quas incurrunt fœdifragi, nisi servassent.

sent.
los a
ullo
tum
re &
lueri
veter
obje
ut vo
C
bus, p
blica
ritate
ad ha
que n
ipsa S
amin
bueri
verbo
& be
nibus
opus
di.
qui
gloss
isti q
sent
con

sent, Disertè inquam polliciti sunt, velle illos admittere, velle ut possint liberè & sine ullo impedimento loqui, quantum illis libitum fuerit, & unà cum ipsis patribus tractare & discutere materias, & probare quæ voluerint, tum divina ac sacra scriptura, tum veterum doctrina: atq; etiam respondere ad objecta Concilii, sive scriptis, sive viva voce, ut voluerint. RECITA ex salvo conductu:

Concedimus omnibus Ecclesiasticis & secularibus, præsertim Augustanae confessionis personis, publicam fidem, & plenissimam, verissimamq; securitatem, quam saluum conductum vocant, liberè ad hanc civitatem Tridentinam veniendi, ibidemque manendi, standi, proponendi, loquendi unà cum ipsa Synodo, de quibuscunq; negotiis tractandi, examinandi, discutiendi, ac omnia quæcunq; ipsis libuerint, ac articulos quoslibet tam scripto quam verbo offerendi, propalandi: eosq; scripturis sacris, & beatorum Patrum verbis, sententiis, & rationibus declarandi, astruendi, & persuadendi: & si opus fuerit, ad objecta generalis Concilii respondendi.

Nunc ubi sunt isti interpretes ingeniosi, qui in decreta Comitiorum excogitarunt glossas illas, de quibus suprà dixi? Ubi verò isti qui scripserunt, Protestantes futuros præfentes, tantùm ut audiant condemnationem contra se ferendam; & eatenus patiendos el-

se ut loquantur, quatenus dixerint se velle recantare & abjurare? Inspiciant diligentius hoc scriptum totius Synodi, & videant, num possit talem sensum pati, qualem ipsi affixerunt. Sed RECITA finem ipsius salvi conductus:

Quòd si sancta Synodus, vel aliquis ex ea, vel suis, præscriptæ assurationis & salvi conductus formam & modum, in quocunq; puncto, vel clausula violaverit (quod tamen dignetur avertere Omnipotens) habeant ipsam synodum, & habere poterunt, incidisse in omnes pœnas, quas jure divino aut humano, aut consuetudine, hujusmodi salvorum conductuum violatores incurrere possunt, absq; omni excusatione, aut quavis in hac parte contradictione.

Hæc clausula mihi quidem valde periculosa videtur. & profectò nimis ausi sunt Patres illi, qui verbum de verbo expressum extulerunt ex Basiliensi salvo conductu. Polliciti enim sunt adversariis maxima quædam: & interim potuerunt scire, fore ut non possent ea exsolvere: illudq; in primis, ut essent audituri & laturi Lutheranos, & unà secū tractaturi, discussuriq; articulos controversos. Et nihilominus subjecere sese omnibus pœnis, quæ infliguntur violatoribus fidei, si ea non servassent. Nollem fuisse tantum ausos.

At de salvo conductu, tum Basiliensium Patrum,

Pat
dur
clau
nos
fun
ea,
hæc
TE
ipfa
S
veni
man
ctanc
min
C
mas
care
tes p
bus,
volu
Co
nost
detr
ob h
vide
auto
strie
sit h
sunt

Patrum, tum nostrorum, paulo fusiùs dicendum est. In illo enim sunt aliquot insignes clausulæ & verba magni ponderis, quæ in nostro non sunt. quin immutata & inversa sunt multa. Nam in illo, ubi legere est verba ea, Tractandi, examinandi, discutiendi: duo hæc amplius sunt, CONCLUDENDI, & TERMINANDI. RECITA clausulam ipsam Basiliensem:

Salvum conductum concedimus, atq; damus, veniendi ad hanc civitatem Basiliensem, ibidemq; manendi, nobiscumq; de negotiis opportunis tractandi, placitandi, disponendi, concludendi, & terminandi.

Cur verò nostri has duas voculas postremas detraxerint, facile omnes possunt judicare. Comititia enim statuerant, ut Protestantes possent interesse non solum tractationibus, verum etiam conclusionibus. & disertè voluerunt in decreto uti illis duobus verbis, CONCLUSIO, & CONCLUDATUR. At nostri, ne hoc saltem viderentur probare, ea detruncaverunt. Quod sanè nollem factum, ob has quas nunc dicam causas. Primùm, ne videremur palàm & hostiliter dissentire ab autoritate Comitiorum, & cum ea veluti strictis gladiis pugnare: non quidem, quia sit habenda ulla ratio Lutheranorum, qui sunt nobis hostes ex professo: sed quia ha-

benda fuit ratio Cæsaris, Regis Rom. aliorumq; Principum, & civitatum liberarum, quæ nobis favent, & sunt magna pars Comiti-
 tiorum. Certè enim plura sunt illic Catho-
 licorum, quàm Protestantium suffragia. Ita-
 que omnes illi jure conqueri possent de
 Tridentinis patribus, qui longè alias condi-
 tiones & leges voluerint dare Synodo cele-
 brandæ, quàm Comitia ipsa statuerint. De-
 inde, quia nullo cum fructu videntur mihi
 ea duo verba sustulisse. Quum enim diser-
 tè dixerint, se esse admissuros adversarios, ut
 unà possint totam causam tractare, placitare
 ac disponere: annon hoc est perinde, ac si
 dixissent, concludere & terminare? Certè
 qui admittitur ad tractandum & disponen-
 dum materiã & causam aliquam (mea qui-
 dem sententia) ad concludendam eam ad-
 mittitur. Nam tractare & disponere (mihi
 quidem) idem sonat, quod terminare aut
 concludere.

Hic dixerit aliquis illorum Patrum, rem
 longè aliter habere se, quàm ego existimem:
 & aliud esse tractare, & disponere: & se ita rē
 intelligere, nempe ut velint quidam Luthe-
 ranos admittere, ut liberè, quæ illis libitum
 fuerit, dicant; ut unà adsint, quando tracta-
 bitur de modo quo in Concilio progredien-
 dum sit, & quãdo singulæ res suo ordine dis-
 ponen-

ponentur: & quòd non sint illos repudiaturi, sed usuri eorum consilio & iudicio, interea dum tales tractationes & dispositiones fient. sed ubi tempus advenerit, quo pronuntiandæ erunt sententiæ, & iudicia de controversis articulis: tunc se esse dicturos Protestantibus, ut secedant, & se solos nostros pronuntiaturus, quid illis visum fuerit. Audio, & planè sciebam nostros hoc in animo habuisse, quum salvum conductum dictarent, & duo illa verba ressecarent. Sed quæro, num illis facile factu videbatur, ut Lutherani tunc essent è cœtu illorum secessuri, & iudicia nobis solis libenter permissuri, quando jam advenisset tempus sententiæ ferendæ? Mihi quidem non modò difficile id potuisse obtineri, sed prorsus impossibile videtur. Neque enim Lutherani ad verba, quæ fuissent à nobis scripta, sed ad suorum Comitiorum verba & decreta attendere voluissent. Quin riderent inter sese, & nos per totam Germaniam traducerent, si possent scire, nostros Tridentinos Patres cogitasse de illis repudiandis, & è cœtu exturbandis, quando ferendæ sententiæ tempus advenisset. Nónne ostendi ex VVirtembergensium scripto, eos nullo pacto velle nobis solis iudicium causæ permittere?

Nunc dicam de alia differentia: atque eâ

non parvi momenti, quæ existit inter Basiliensem saluum conductum, & nostrum. Basiliensis ita habet. RECITA:

Etiam pro universis & singulis Christi fidelibus, & specialiter pro sanctissimo D. nostro Rom. Pontifice, &c.

Pollicebatur securitatem non solum quod ad ipsum Concilium, sed etiam quantum ad ipsum summum Pontificem spectabat. Jam Lutherani consimilem salvi conductus formam, missis Tridentum certis Legatis, postularunt. At nostri noluerunt pro summo Pontifice securitatem illis polliceri. RECITA:

Quæ quidem omnia pro universis & singulis Christi fidelibus, pro omnibus Principibus tam secularibus quam Ecclesiasticis quibuscumq;, atque omnibus aliis Ecclesiasticis & secularibus personis, cujuscumq; status & conditionis existant, aut quocumq; nomine censeantur, inviolabiliter observanda esse, promittit, & bona fide spondet.

Nec me latet, quænam fuerit ratio concilii Patrum Tridentinorum. Illi enim propterea pro Pontifice non putarunt esse pollicendum, ne minimam suspicionem darent, se sentire, quod Concilium habeat autoritatem ullam supra Pontifices. At interea scio Lutheranos hac de causa etiam editis libellis conquestos esse: primum dictitantes, Concilium

tilium
te: tu
cund
juxta
& ita
sint a
Dein
dentu
Etitas
posse
terea
& illu
rigi p
pii, m
legim
sed aj
pisco
Tride
tentan
beas f
sum (C
labor
re, si p
quand
S
stris P
ductu
gnante
eos atto

tilium prorsus pendere à tua unius volunta-
 te: tuosq; Episcopos minimè iudicatu-
 rōs secundū eorum conscientiam, sed prorsus
 juxta tuam unius: atq; ita tibi addictos esse,
 & ita tuum imperium extimescere, ut non
 sint ausi tuo nomine promittere securitatē.
 Deinde non esse omnino tutum illis, Tri-
 dentum accedere: quandoquidem tua San-
 ctitas, quę nullum saluum conductum dedit,
 posset eos opprimere, si vellet. Et multa præ-
 terea congerunt de Conciliorum potestate,
 & illud in primis, posse Concilia priora cor-
 rigi per posteriora, in quo fuerint viri magis
 pii, magisq; docti: quod factum aliquando
 legimus in superiorum temporum historiis.
 sed ajunt se non posse ferre, ut quispiam E-
 piscopus possit illa decreta infringere. Et si
 Tridentum venerint, hoc etiam audebunt
 tentare, ut primū statuatur, ne tu ullam ha-
 beas supra Concilia potestatem. Nam quor-
 sum (inquiunt) opus est, tantum temporis,
 laborum, vigiliarum & sumptuum insume-
 re, si postea debeat tibi licere, omnia decreta
 quando volueris rescindere?

Sed pergo adhuc de Basiliensibus & no-
 stris Patribus loqui. Illi in eorum salvo con-
 ductu in hunc modum. RECITA: *Et si-
 gnanter, quòd in causa quatuor articulorum per
 eos attentatorum, Lex divina, praxis Christi, A-*

postolica, & primitiva Ecclesia, unaq; cum Conciliis, doctoribus fundantibus se veraciter in eadem, pro verissimo & indifferente iudice in hoc Basiliensi Concilio admittentur.

Nostri verò inverterunt hanc clausulam. RECITA: Et signanter, quòd caussa controversa secundum sacram scripturam, & Apostolorum traditiones, probata Concilia, & catholica Ecclesie consensus, & sanctorum Patrum auctoritates, in predicto Concilio Tridentino tractentur.

Ecce, ubi erat, PRAXIS CHRISTI, LEX APOSTOLICA, & PRIMITIVÆ ECCLESIAE: nostri reposuerunt, TRADITIONES APOSTOLORUM, atq; ubi erat, CONCILIIIS, & DOCTORIBUS FUNDANTIBUS SE VERACITER IN EA: reposuerunt, PROBATA CONCILIA, CATHOLICÆ ECCLESIAE CONSENSUM, & SANCTORUM PATRUM AUCTORITATES. Caussa verò, quam obrem hæc tanta immutatio à nostris fuerit facta, ea est quam nunc dicam. Lutherani enim volunt solam sacram scripturam pro iudice: atque eam eo modo intelligere, quo ex Actis atq; epistolis Apostolorum apparet fuisse ab his, & ab ipsa primitiva Ecclesia intellecta, & in praxi vel usu habita. At nos minimè patimur, scilicet, ut Rom. Ecclesia tam angustiis finibus, atque intra tantam veluti paupertatem

tem

tem &
ut nul
moni
angel
prehe
Rom
move
ritate
se pra
quæ f
& ab
lia; in
sto &
sine u
ad po
nerunt
voca
ment
tini c
decre
eader
ctu lu
lium.
dicta
sola I
Apol
scrip
ma:
non f

tem & egestatem arctetur, & concludatur, ita ut nullis possit dogmatibus, ritibus ac ceremoniis uti, nisi illis ipsis quæ sunt in ipsis Evangelistis atque Apostolorum scriptis comprehensæ. Quin volumus nostram hanc Rom. Ecclesiam longè lateq; suos fines promoverè, utpote potentem & divitem auctoritate: eamq; coli & observari, atq; aliis posse præcipere, ut colant & servent, præter ea quæ sunt à D. nostro Jesu Christo præcepta, & ab ejus Apostolis literis mandata, item alia; immò longè plura, quæ fuerunt à Christo & ab Apostolis viva voce pronunciata, & sine ulla scriptura veluti per manus tradita ad posteritatem eorum, deinde ad nos devenerunt. hæ enim sunt, quas TRADITIONES vocamus. Hæ sunt certissimum fidei fundamentum. Propterea statim initio Tridentini concilii fuerat concinnatum gravissimū decretum, quo cautum est, ipsas traditiones eadem reverentia, atq; eodem pietatis affectu suscipiendas esse, quo ipsummet Evangelium. Itaq; nostri, quum salvum conductū dictarent, voluerunt palàm edicere, quòd nō sola Lex divina, & non sola praxis Christi, Apostolorum, & primitivæ Ecclesie, illa quæ scripto cōtinetur, deberet esse Concilii norma: sed illa etiam divina doctrina, quæ tunc non fuit scripta, sed ore tenus tradita.

Hic tua Sanctitas rem magni momenti à me audiat. Nam si voluerimus ordine progredi, negantibus Protestatibus ulla dogmata, aut etiam ulla ceremonias fuisse à Christo & Apostolis ore tenus traditas, sed eas tantum quæ scripto continentur: & affirmantibus, ex sola scriptura petendam esse normam, juxta quam Concilium celebrandum sit: antequam hoc institueremus, necesse esset diligenter disputare & investigare, num res se habeat de traditionibus, quemadmodum aut nos aut illi affirmant: ut omnes, qui essent conventuri, possent intelligere, statuentes essent dogmata ex verbo Dei scripto, an ex traditionibus? Vides igitur, ut semper novæ lites & novæ difficultates aliæ super alias scaturiant, ante etiam ipsam inchoationem Concilii.

Deinde quod ad Concilia, quorum Basilienses meminerunt, attinet, hostes nostri ea non omnino negligunt: sed addunt odiosam quandam restrictionem, nempe ea demum Concilia se probare (sicut etiam doctores ipsos) quæ verè habeant fundamentum ex sacra scriptura: alioquin se damnare & repudiare. Verùm hoc tibi (fat scio) non placet, neque enim cogèris rationem reddere, an Concilia & doctores verè inhæreant fundamento sacrae scripturae, nec ne: sed satis est, si

tu ea

tu ea p
tur illi
libris.
dent in
appell
TER
PROB
quod
dum p
tes. Et
tissime
ti sunt
bo De
juxta e
Actis
stolos
à Luth
cas qua
probat
clesiæ &
fore co
nos. I
runt:
& qua
non li
bus illi
Sed
rasse o
potuif

tu ea probaveris. tunc enim omnes coguntur illis obedire, tanquam ipsismet Bibliorū libris. Hanc igitur ob causam Synodus Tridentina decurtavit ea verba limitatoria (ut appellant) **FUNDANTIBUS SEVERACITER IN EA: & reposuit, SECUNDUM PROBATA CONCILIA**, secundum id quod universali Ecclesiæ in usu est, ac secundum patrum (id est recentiorum) auctoritates. Et scio quidem, te non ignorare, prudentissimos homines, qui diu in hac causa versati sunt, ita sentire, ut si ea judicanda sit ex verbo Dei in veteri & novo testamento scripto, juxta eum sensum quem ex Epistolis atque Actis Apostolorum agnoscimus ipsos Apostolos tenuisse, & docuisse, fore ut vincamus à Lutheranis. Verum si judicanda esset juxta eas quas nos Traditiones appellamus, juxta probata Concilia, juxta consuetudinem Ecclesiæ & sententias doctorum neotericorum; fore contra, ut nos vincamus ipsos Lutheranos. Itaque Tridentini patres hoc respexerunt: quum saluum conductum dictarent: & quandam veluti normam, à qua discedere non liceret, putarunt esse statuendam, omnibus illis qui essent ad Concilium venturi.

Sed ut ingenuè dicam, malle eos elaborasse omnibus nervis, si quam viam invenire potuissent, qua Concilium inter nos cele-

brare (quemadmodum aliquandiu egimus) potuissemus sine stimulis illis, qui nobis perpetuò latera urgerēt (de Lutheranis loquor) quàm præscripsisse, quibus libris utendum illis esset, quibus item non. In summa, fateor me timere ab illis disputationibus, tanquam à morbo & peste quadam. Nam posteaquam cœpta esset pugna cominus, & jam arderent utrinque animi: quis demum posset hostes prohibere, ne in arcem totius causæ invaderent, & ex scriptura peterent tela, quæcunq; ad manus venirent, quæ jacerent in nostros? unde interea evulgarentur ea, quæ satius fuisset esse suppressa.

Quæro nunc ab illis, qui se putant egregiâ operâ navasse pro salute Ecclesiæ, quû certam legem, ac veluti arma quibus esset pugnandum, salvo conductu edito, Lutheranis præscriberent; ut eos veluti intra cancellos quosdam continerent, si in ardore disputationis audirent ipsos agere tantùm ex sacra scriptura, & tantùm ex praxi Christi, Apostolorum & primitivæ Ecclesiæ: & interim conculcate traditiones, Concilia, consensum nostrarum Ecclesiarum, & nostrorum doctorum sententias: quæro, inquam, num fortè vellēt reclamare & dicere; Heus boni viri, edixim⁹ vobis, ne his armis esset vobis pugnandum: abstinete, & illis utimini, quæ vobis ex salvo
con-

condu
abite
tur, si
tueru
condu
quæ v
injicit
nobis
Q
tas. C
unqu
extitit
exulce
inde u
fieri a
raveri
tu nec
P
thum
qui in
drâ co
lites, c
jus co
putat
nim t
gerim
persu
nimè
in cor
huc, n

conductu concessimus: aut si hoc non lubet, abite hinc. qui risus, qui cachinni audirentur, si ita vellemus prohibere? Comititia stauerunt, ut possint quæ velint loqui: in salvo conductu alicubi invitantur ut veniant, & quæ velint dicant: alicubi verò frenum illis injicitur, ne queant, quæ illis libitum, sed quæ nobis placitum fuerit, loqui.

Quorsum hæc ingeris? petet tua Sanctitas. Quorsum? Primùm ut ostendam, nullam unquam causam nullam unquam memoriã extitisse tam difficilem, tam implicitam, tam exulceratam, tam denique desperatam. Deinde ut persuadeam (si quidem possim) nihil fieri abs te prudentius posse, quam si eam curaveris sepeliendam: ita ut in tuo Pontificatu nec nominetur illa quidem ampliùs.

Proh dii immortales, in quem Labyrinthum, & quàm inextricabilem ingreditur, qui in illam ingreditur: imò verò quam hydrã cogitat superare & occidere, qui omnes lites, controversias & difficultates, quæ ex ejus corpore, ac potius cadavere scaturiunt, putat posse tollere ac sopire? Quanquam enim tam multas ac tam graves hæctenus attigerim, tamen non omnes adhuc attigi. Superfunt alię quędam valde difficiles, quæ minimè possent ulla prudentia aut dexteritate in concordiam redigi. Audi nunc unum adhuc, mox deinde finem faciam,

Nostri in salvo conductu meminere consensus Catholicae Ecclesiae: quibus verbis intelligunt, illam concordiam in servandis doctrinis, ritibus & ceremoniis, quae est inter nos, qui tuae Sanctae sedi sumus subditi, & paremus. Voluerunt autem, ut in judiciis ferendis omnes Concilii patres hanc ipsam concordiam habituri essent ante oculos: quandoquidem optima sit ratiocinatio, si quis dicat, Ecclesia Catholica Rom. concors ita observat, ergo recte: neque mutari, neque reprehendi id potest. Ita intelligunt nostri, quum dicunt, judicia fieri debere juxta consensum Catholicae Ecclesiae, ut spectemus usum. At quid vicissim illi? An putas, saltem hac in re sentire nobiscum? aut exiguum discrimen hic esse inter nos & illos? imò maximum audies. Nam Catholicae Ecclesiae consensum appellant, totum id quod comprehensum & definitum est in scriptis Prophetis, Evangelicis & Apostolicis: & totum id in quo omnes verè pii (sic enim loquuntur) qui fuere ab initio orbis conditi, usq; ad haec tempora, convenerunt.

Hanc illi consensionem veræ & Catholicae Ecclesiae vocant. Quod tantundem est, ac si dicerent, laudabiles consuetudines sanctae Rom. Ecclesiae prosterni, & prorsus tolli debere. quia si quis velit spectare, quid Prophetæ,

phet
runt
doct
forte
ejuse
mih
here
por
non
coga
S
dram
quib
avul
Nam
est in
rum,
sum l
bio n
ca po
mus
Rom
tifico
Et q
Con
quæ
gimu
capu
ctari

phetæ, quid Christus, quid Apostoli docuerunt, & ipsas consuetudines ad normam illius doctrine, veluti ad Lydium lapidem eligere: fortè inueniat non esse consentaneas, atque ejusdem veluti coloris & precii. Vide ergo mihi Pater sancte, quò nos velint illi retrahere, ut scilicet vetustissimorum illorù temporum atq; ætatum mores & consuetudines non modò scrutemur, sed etiam suscipere cogamur, & abolere nostras.

Sed quum dixerim, hanc esse veluti hydram, cui septem capita renascuntur, cum quibus omnibus est tibi pugnandum, si unum avulseris: omnino propriè videor loquutus. Nam interea dum explicavi discrimen quod est inter nos & illos, de sensu eorum verborum, Consensus Catholicæ Ecclesiæ: usus sum hoc verbo, Apostolici, de quo proculdubio nova lis & controversia orietur, atque ex ea postea aliæ, & ita in infinitum. Nos solemus vocare Apostolicam, hanc ipsam sanctam Rom. Ecclesiam: & te etiam summum Pontificem Dominum Apostolicum vocamus. Et quum dicimus, necesse esse in celebrandis Conciliis eam normam observari oportere, quæ traditur ab Apostolica Ecclesia, intelligimus hanc Rom. hanc præsentem, cujus tu caput es. Verùm Lutherani, cum legunt, spectari debere id quod Ecclesia Apostolica im-

perat: primo quidem aspectu videntur consentire, & laudare etiam nostram. Si igitur cauti non essemus, nec curaremus rem clarior ab illis prius explicari, sed sineremus illos ingredi ad conferendum cum nostris, sanè possent nobis movere magnas turbas: quandoquidem scimus eos appellare Apostolicam Ecclesiam illam, illam inquam vetustam congregationem & coitionem, in qua fuit Joannes, Petrus, Paulus, aliiq; Apostoli atq; fideles: & ab his dictitant petendam esse normam Conciliorum, sicuti sæpe monui.

Sed etiam de eodem verbo ECCLESIA, quot putas novas interpretationes & sensus eos solere adducere, alienos illos quidem, & contrarios nostris? In summa, nihil potest à nobis fieri prudentius, quàm si ab illis sic dextrè nos explicemus, ut nullum negotium porro sit nobis commune cum illo genere hominum. Hoc verò una hac, aut nulla præterea ratione consequi possumus, si omitteremus de Concilio instaurando cogitare.

Nisi fortè tua S. velit sibi persuadere, reliquos omnes Principes, præter unum ducem VVirtembergensem: ac reliquas omnes liberarum civitates, præter unam Argentinam, se summistras tuæ unius potestati: & veluti clausis oculis, quò tu illas ducere volueris, secuturas, atq; obtemperaturas. Hoc si credis, veh-

veh
escu
vel
fem
raru
una
nov
com
ipfa
ptos
quid
conc
listil
futu

Q
mne
eode
minu
esse.
ca su
quæ
nunc
conf
cii eff
pemo
unur
Pr
tum,
dis co

vehementer (mihi crede) erras. Nam quotiescunq; his de rebus, quas jam attigi, agere vel in Concilio vel in Comitibus contigerit, semper maxima illorum Principum & liberarum civitatum pars unà consentiet, atque unà conspirabit contra te. Non solum enim nova quædam religionis societas, sed vetus & commune in Romanos odium, & in primis ipsa natura, sanguis & patria, eos abs te abreptos facile conglutinabit. Neque spero ego quidem fore, ut ulla unquam inter te & illos concordia farciri possit: quin potius cum illis tibi sempiternam discordiam & bellum futurum auguror, & jam nunc denuncio.

Quin audi amplius, ut planè intelligas, omnes eos ab una schola & secta prodire, & eodem modo esse contra te animatos, aliquè minus, aliquem plus, omnes tamen hostes esse. Multa quidem valde absurda & hæretica sunt à me hodie recitata, ex scriptis illis quæ VVirtembergenses atq; Argentinienses nuncii in Concilio effutiverunt: verùm ea si conferas cum his quæ Saxonum ducis nuncii effutire ausi sunt, videri possunt illa prope modum modesta & tolerabilia. Audi nunc unum atque alterum.

Prudenter fuit à majoribus tuis constitutum, ut omnes Episcopi, qui istius sanctæ Sedis communionem habituri essent, solennitè

juramento se obstringerent, & sanctè promitterent, se primatum istum tuum, tuaque jura, honores, privilegia, & totius Romanæ Ecclesiæ autoritatem perpetuò defensuros, & ut augeantur & promoveantur curaturos: Regulas sanctorum patrum, decreta, ordinationes, & omnia mandata Apostolica observaturos: hæreticos, & rebelles deniq; tuæ potestati, persecuturos & impugnaturos. At cur non æquum est, cogi etiam Episcopos, tuas creaturas, ut ita jurent, quo firmitus & constantius retineantur in officio: si summus ipse Rom. Imperator cogitur jurare, sanctam Rom. Ecclesiam, & te rectorem ejus exaltare, & eum honorem quem habes conservare, nec ullum amplius Romæ placitum aut ullam ordinationem facere (sunt ipsamet verba ex formula juramenti) præterea si tu quoque ex Constantiensis Concilii decreto cogaris jurare? quanquam id non servas, quia es supra omnia Concilia. Sed nuncii è Saxonia missi, eò temeritatis & dementiæ venerunt, ut ausi fuerint palàm in Concilio petere, ut omnes illi, qui tibi essent juramenti religionem astricti, dissolverentur ac liberarentur. Proh quid potuit excogitari ineptius, quid stultius? scilicet tua S. permetteret, hac præsertim tempestate (qua si ex vetere instituto illi non fuissent ad jurandum adacti, essent

sent

sent profectò adigendi) ut liceat illis quæ voluerint in Concilio loqui: etiam si fortè libido eos incefferit, cõtra te & totam Catholicam Ecclesiam loquendi.

Ac non modò hoc, quod est tam absurdũ atq; enorme, petiverunt: sed aliud etiam, multo sanè absurdius atq; enormius. Proh Deũ atq; hominum fidem, in quæ tempora incidimus! itáne homines omnem pudorem exuisse, & ferè communẽ sensum! Quis unquam præter Saxones, feros illos & ferros, tam perfrixtæ frontis, & tam amens extitisset, qui talia petere ausus fuisset: præsertim à tuis ipsis legatis, tuisq; creaturis, quas tu ipse ex maximo numero selegeras, cæterisque chariores Tridentum miseras, quæ illicito ære & sumptu merebant, quæque te mirificè & constanter colunt, & non modò summa constantia & virtute paratæ erant tuam potestatem, tuasq; doctrinas & cæremonias omnes tueri, & defendere, sed sanguinem & vitam pro tua gloria profundere: ab his inquam Saxones petere ausi sunt, ut te Pontificem maximum sub jugum atq; imperium Concilii mitteret, ut de te, tuisq; rebus omnibus, dictis & factis ita inquireretur, quemadmodum Constantiense Concilium de Joanne XXII I. & Basiliense de Eugenio IV. inquisivit. Quenam erit veluti regina impudentia

rum omnium, quæ post hominum memori-
am fuerunt, & sunt, aut aliis erunt in annis, si
hæc non est? Et tu cum hoc hominum gene-
re adhuc negotium ullum, aut rem ullam un-
quam amplius tractabis? de hac peste in tuo
Concilio admittenda & audienda cogitabis?
An non vides, quo te odio prosequantur? &
quò eorum consilia spectent? nimirum ut te
accusent, ut reum peragant, ut te mœrentem,
demissum, afflictumq; videant? ut denique
condemnent, atq; isto supremo honore, su-
premaq; gloria exuant, sisq; illis ludibrio?
RECITA, ut videamus num ita petierint illi,
sicut dixi.

*Quarto loco referre, & in memoriam revocare
debemus vestris amplissimis dignitatibus & præ-
stantiis, quòd articuli controversiam habentes, fidem
nostram Christianam, & aliqui eorum Pontificem
præcipuè concernunt. Cùm autem & jura &
Concilia, tum Constantiense tum Basiliense, expres-
sè constituerint, quòd in causis fidei, & quæ ipsum-
met Pontificem contingant, Pontifex Concilio sub-
jectus, & Concilium supra Pontificem sit, & esse
debeat: conveniens fuerit, illud hoc etiam in loco o-
mnino ita servari, & ante omnia confirmari, sicut
in Basiliensi Synodo factum est, ut in secunda Sessi-
one ejusdem habetur. Et quòd per hoc Prelati, ac
reliqui in Concilio, cujuscunq; gradus ac ordinis
fuerint, à suis juramentis, quibus Pontifici obstr-*

Et

si erant, quantum ad Concilium & causas in eo tractandas pertinet, liberi sint.

Sed in his verbis, quæ consequuntur, attende ingentem hominum confidentiam atq; arrogantiam. audet enim affirmare, jam relaxata esse, autoritate conciliorum Constantiensis & Basiliensis, omnibus Episcopis omnia juramenta, etiam si tu nolueris nunc relaxare: & te jam esse omnino subiectum Concilio, etiam si neq; Episcopi te submittant, neq; ipse te spontè subjicias.

Et censet Princeps, quod huiusmodi liberatio etiam sine expressa Pontificis relaxatione sequatur: ut clarè ex conclusis Basiliensis Concilii in multis locis ibi ponitur, quod etiam Papalis eminentia & dignitas in talibus casibus Concilio subiecta sit. Si ergo subiecta est Papalis eminentia Concilio: sequitur, quod personæ Concilium representantes, ab eius nexibus & ipsi prestitis juramentis, quantum ad fidei articulos & Christianam reformationem, tam in capite quam membris instituendam, spectat, liberae sunt. Et etiam si Pontifex nollet eis juramenta ea remittere, quod tamen vi & virtute prædictarum constitutionum Constantiensis & Basiliensis Concilii, jam liberae sunt, & quod hac ita declarari merito debeat.

Si enim liberum decet esse Concilium, in quo semotis affectibus, de controversiis religionis, & Christiana reformatione capitis & membrorum tracta-

ri, atq; omnia secundum sacram scripturam fieri
 conveniant: necesse est liberas esse personas, qua li-
 berè de his omnibus differere & judicare debeant.
 Liberi autem, & sine affectibus nunquam erunt,
 qui Pontifici subjecti, & ab ejus imperio, quantum
 ad causas in Concilio tractandas pertinet, non so-
 luti censeri debebunt. Rogat summopere Princeps
 noster, predictas constitutiones Constantiensium &
 Basiliensium Concilii (quod nimirum in fidei arti-
 culis, & qui Pontificem, ejusq; potentiam contin-
 gunt, Pontifex Concilio subjectus sit) ante omnia
 confirmari exemplo Basiliensis Concilii, quod ab i-
 nitio decretum Constantiensis concilii in articulo,
 Quod universale Concilium supra Pontificem sit,
 ante omnia repetivit, approbavit, ratificavit, atq;
 etiam de verbo ad verbum actis illis inseruit, quem-
 admodum secunda Sessionis ejus Concilii acta ma-
 nifestissime demonstrant.

Hic stultissimi homines adducunt, atque
 urgent illorum duorum Conciliorum auto-
 ritatem, & eam existimant sacrosanctam,
 quum tamen alia Concilia cõtemnant: per-
 inde ac nesciant, sedem hanc Rom. Basilien-
 se habere pro conciliabulo, & non pro legi-
 timo Concilio: nec probare Constantien-
 se in omnibus, sed tantum in nonnullis par-
 tibus. Neq; enim probare ullum Concilium
 unquam vellet, aut posset, quod efferre se su-
 pra summum Pontificem Christi vicarium
 auderet.

anderet. Hoc simile peccatum existit peccato
 Diaboli, qui quum in cœlis aliquando es-
 set, voluit se supra Deum ipsum extollere.
 Sed aut dissimulant, aut ignorant hæc hære-
 tici: & petunt in summa, ut tu de isto divino
 folio descendas, teq; illis dedas iudicandum,
 aut mactandum etiam. Sed audi, quibus si-
 miles hac in re mihi esse videantur. Propono
 mihi ante oculos Principem quempiam, qui
 degat in civitate, aut arce natura atque arte
 munitissima, instructissimaq; : cui omnia ad-
 sint, quæ ad eam tuendam & defendendam
 sunt necessaria, viri fortissimi & fidelissimi,
 qui etiam iurarint se eorum Principi nunquã
 defuturos: commeatus, arma, bombardas,
 munitiones deniq; omnes. Deinde statuo
 mihi ante oculos aliquot regulos & tyrãnos,
 qui eam civitatem ingenti exercitu obsidio-
 ne cinxerint, urgeantq; quotidie quantum
 possint, ut eam expugnent: at frustra. idque
 nimirum, propter eximiam bellicam virtu-
 tem, quæ viget in Principe & militibus ob-
 sessis. Nunc quæro, si reguli illi qui obsident,
 missa legatione rogarent hostem suum: pri-
 mum, ut milites, à quibus defenditur, vincu-
 lo iuramenti absolveret, ita ut si vellent aut
 desciscere, aut desinere pugnare, permetteret
 illis: deinde ut portas urbis aperiret, exiret-
 que in eorum castra solus atq; inermis, sine-

retq; se ab illis confodi: si inquam hoc peterent tyranni illi qui obsident, annon existimaremus, omnes eos esse extrema dementia percullos, dignosq; quos ipsimet eorum exercitus exploderent & desererent? ita profecto. Nam quid posset stultius, & magis ridiculum tali legatione excogitari?

Puto Sanctitatem tuam jam esse assequutam, quid velim hoc exemplo: collatione tamen clarius explicabo. Tu Princeps ille es, qui civitatem munitissimam atq; instructissimam defendis: hoc est, veram & corroboratam divina autoritate, summorumq; Regum atq; Imperatorum, tum doctissimorum & sapientissimorum hominum decretis & iudicio, religionem & Ecclesiam. Fortissimi & fidelissimi milites, qui te defendunt, sunt in primis tui Episcopi: exercitus qui te obsidet, est Protestantium atq; hæreticorum fœdissima factio & conspiratio. sed frustra, ut spero: quia dixit Christus, Portæ inferni non prævalebunt adversus eam. Quid verò auditum unquam ulla nostra, aut patrum memoria stultius & dementius, quàm si reguli & tyranni, hostes tui, te rogent: ut deposita primatus autoritate, te illis spontè subjicias, teque sinas ab eis judicari: & interim relaxes habenas, atq; permittas tuis Episcopis, ut, qui voluerit te deserere, deserat: aut etiam pa-

lam

lām
quæ
hoc
lio f
illi n
um l
S. E,
P. E,
Tu M
mini
cerat
nes, d
bule
bus,
extul
testa
atq;
Juliu
impu
exerc
ipse a
coru
sti, di
sape
viros
urere
omn
tes?
tua s

lãm oppugnet, si velit? Hoc si feceris, vide
 quæso, quid de te futurũ sit. Joannes XXIII.
 hoc quidem egit, & se Constantiensi Conci-
 lio sponte subjecit. Sed legimus omnes, fuisse
 illi mortuo sculptum in marmore epitaphi-
 um Florentiæ tale: **BALDESARIS COS-
 SÆ, JOANNIS XXIII. QUONDAM PA-
 PÆ, CORPUS HOC TUMULO CONDI-
 TUM.** Quòd si Itali hoc fecerunt Italo ho-
 mini, tempore non ita turbulento atq; exul-
 cerato: rogo quid putes tibi facturos Saxo-
 nes, & reliquos Germaniæ homines, his tur-
 bulentissimis atq; exulceratissimis tempori-
 bus, quibus totos XL. annos contra te vocẽ
 extulerunt, calamos strinxerunt, & tuam po-
 testatem dignitatemq; miris modis violarũt
 atq; fœdarunt? tuq; vicissim (seu Paulus, &
 Julius: nam quod illi fecerunt, tibi quoque
 imputant) contra eos Cæsaris animum atq;
 exercitus incendiisti, inflammastiq;: quin tu
 ipse arma contra illos sumpsisti, sanguinem
 eorum fudisti: pagos, oppida, urbes incendi-
 sti, diripuisti. Ut interim sileam, quòd tam
 sæpe in eos emiseris doctos atq; eloquentes
 viros, qui editis libris, ac famosis libellis, in-
 urerent illis notas sempiternæ infamiæ apud
 omnes nationes. Hisne hostibus te commit-
 tes? hisne iudicibus uteris? Verũ scio te
 tua sponte satis à tam stulto facto abhorrere:

quãre non est opus, ut te pluribus verbis dehorter.

Sed quid ego queror nunc de Saxonibus, qui nulla tantæ autoritatis atq; existimationis tuæ, nulla Concilii, cui haud dubiè Spiritus sanctus præsedet, sacrosancti habita ratione, tam absurda atq; impia illic proponere ausi sunt? Quum interim viderimus Henricum II. quem honoratissimo hoc titulo Christianissimi nuncupamus, tum illud Conciliũ in medio cursu turbare & dehonestare voluisse? Nam solfecerat, id quod est, fore ut eo peracto, arma contra Principes & liberas civitates Germaniæ essent abs te & à Cæsare capienda: quibus eas ad parendum Concilii decretis, ut par est, compelleres. Itaq; quasi patronus aut vindex quidam libertatis, & salutis illius nationis, ut se palàm aliquando jactavit, missa legatione, narravit se scire, illud Concilium non esse institutum ad communem universæ Ecclesiæ utilitatem, atq; ut reformaretur restituereturque disciplina, & sectæ atq; hæreses comprimerentur: sed ut obsequeris privatæ utilitati & commoditati alicujus (Cæsarem innuebat) ut majores controversias, dissidia, lites excitares: denique ut funestissimo bello totam adeò Europam concuteres atq; affligeres.

Hæc de te, deq; Concilio tuo, tuus Gallo-

rum

rum rex, non aliam quidem ob causam, nisi ut nationi Germaniæ natura & sponte faveret; in summa, nollem illum tantopere eam amare, & fovere. At quanquam tota hæc historia sit tibi planè nota & perspecta: tamen audiamus ipsamet Regis verba, quæ me quidem, quoties lego, magnopere commovent.

RECITA:

Cum prima Septemb. secunda sessio in cathedrali Ecclesia celebraretur, supervenit peractis sacris, & solitis solennitatibus Regis Francia orator, sine mandato aperto: exhibens tamen Presidentibus Concilio missivam clausam, cujus superscriptio erat: Sanctissimis & observandis in primis in Christopatris conventus Tridentini. Propter hoc verbum, Conventus, nolebant certi Episcopi (præcipuè Hispani) ut prælegerentur, sive reciperentur hæc litera in Concilio, quum non spectarent ad Synodum: nisi exhiberet Orator mandatum, qui se audiri cupiebat. quibus Orator replicabat, literas clausas mandatum continere. Et fuit factus immoderatus clamor, in tantum, ut reverendiss. dom. Legatus, cum suis utrinque adjunctis Presidentibus dominis Sypontino & Veronensi, totam Synodum in sacrarium, in locum secretum & privatum convocarint.

Non laudo, Legatum illum, suosque utrinque adjunctos, Sypontinum & Veronensem Episcopos, permisisse, ut isthæc ita ad unguem

scriberentur: & multo minùs, ut in vulgus spargerentur. Suppressa quidem oportuit, nam apparet, Tridenti fuisse factionem Hispanorum ita magno odio inflammata, ut nec literas quidem Regis Gallorum pati potuerit ut legerentur: & immoderatè vocem extulisse, ut faciunt qui sunt furore perciti. Sed jam RECITA ex ipsa protestatione. Hæc sunt Regis verba:

Attamen cum hæc tot & tanta, ipse pro se per supradictum illum oratorem suum egisset, monuisset, denunciasset, hortatus esset, tantum abesse ut illis omnibus, quæ summopere juri omni divino humanoq; niterentur, ullo modo summus Christianorum Pontifex moveretur, ut cum pacem, tranquillitatemq; tueri deberet, controversias, dissidia, lites, si qua ipsis Principibus inter se Christianis essent, vel minuere, vel funditus tollere, otium atq; securitatem omni ratione celebrando Concilio parare: Italia tamen funestissimum bellum concitatur, quo totam mox Europam conflagrare necesse esset: nova excitare animorum dissidia, aditum ad Concilium omnes precludere maluisse videretur, eamq; omnibus suspicionem inducere, istam ipsam Concilii Tridentini indictionem non communis universæ Ecclesie utilitatis gratia repetitam esse: sed factam potius coitionem cum iis, quorum privatis rationibus ac commodis illic inserviretur, nullo reclamante videri: certè summi Pontificis nostri sanctitatem

se ex-

se excludere, ac fructu optatissimi Concilii privare voluisse.

Nihil potuit de summo Pontifice acerbius dici, quàm quòd tu dissidia, tu bella excites, tu neglectis publicis privatorum còmodis servias; tu eo tempore, quo omnia armis sunt turbata, Concilium celebres; ut, si nulli advenerint qui reclamant & repugnent, poteris omnia tuo ipsiusmet arbitrio illic còficere: & quòd revera nolueris syncerè Concilium celebrare. Sed perge RECITANDO:

Protestatur, sicuti ab ipso jure permissum esse non ignorat, videlicet, ne sibi gravissimis bellicorum motuum difficultatibus implicato, necesse esset Tridentum ad Concilium mittere sua ditionis Episcopos: quippe quibus nec liber, nec tutus eò pateret accessus: neve id ipsum Concilium, à quo excluderetur invitissimus, generale totius Ecclesie catholice aut haberetur, aut appellaretur, quin potius privatum existimaretur Concilium.

Proh superi, quid audimus ab rege Christianissimo? idem ferè quod à Saxonibus, qui querebantur exiguum in Concilio esse numerum Episcoporum & Legatorum statuū Germaniæ: & propterea generale Concilium illud dici non oportere. nunc idem inquam Henricus, ut vides. Sed perge:

Quòd videretur illud quidem quesitum & expetitur, non reformanda restituendaq; disciplina,

ulguſ
ruit.
n Hi-
m, ut
ti po-
ocem
erciti.
Hæc
o se per
onuis-
se ut il-
no hu-
stiano-
inquil-
a, lites,
essent,
securi-
are: Ita-
quo to-
t: nova
cilium
omni-
li Tri-
rse Ec-
tam po-
tionibus
lamante
Titatem
se ex-

nec sectarum comprimendarum studio, sed quibusdam obsequendi, quorum privata utilitatis magis quam publica ratio inita esse videretur.

Omnino ita sentit, te Concilium adornasse, quo Cæsaris voluntati oblequereris: atque ut illi occasionem dares, qua posset arma capere, & aliquot Germaniæ Principes, liberarumque civitates affligere: quod Gallorum Rex pati nullo modo potest. Perge recitando:

Denique, nec Concilii huiusmodi, neque, ejus decretis, aut ipse, aut pop. Gallicus, aut ulli Gallia Ecclesie ministri in posterum tenerentur: imò verò se testari palam, ac denunciare, ad eadem remedia ac presidia descensurum, si necesse videretur, quibus majores sui Francorum Reges, in re consimili, causasque, uti consueverunt.

Usque adeò Germaniam amat Rex ille, ut præ illa tuam autoritatem, tuique Concilii decreta videatur planè contemnere. Pater sancte, tene quæso diligentissimè hoc verbum, quod nunc dicam, alta conditum mente. Si tibi in omnibus articulis & controversiis, quas commemoravi, pulchrè posset convenire cum tota Germania, quod tamen nunquam fiet: adhuc non posses Concilium instaurare atque absolvere, vivente Carolo V. Novam rem videor dicere, atque inauditam, fat scio: sed non temerè dico, verum exploratissimè & meditatissimè. itaque accipe causam

Tam
lusp
Con
plur
com
tim
omn
verò
cult
fensi
ravi
quea
A
pes p
ligen
hoc
ob ca
sum
hæc,
turan
que a
quia
pent
nem
latio
tant
alter
pote
psa, &

tam opinionis meæ. Quum enim plurimi
 suspicentur, non unus tantum Henricus,
 Concilium, quod rursus institueres, posse
 plurimum inservire privatis rationibus, &
 commodis Caroli: plurimi (mihi crede) par-
 tim clanculum, partim apertè impediunt te
 omni studio, ne illud possis celebrare. Quum
 verò ad hanc maximam & gravissimam diffi-
 cultatem, etiam accedant illæ tam multæ dis-
 sensiones, & controversiæ, quas commemo-
 ravi: cogita tu ipse, quanto minùs sperare
 queas, ut celebres.

At dices: Spero fore, ut inter eos Princi-
 pes pax aliquando farciatur: quod & curo di-
 ligenter. nam & Cardinalem Lotharingum,
 hoc est, ferè Regem ipsum, ex Gallia jam eam
 ob causam evocavi: & nihil non tento in
 summa, ut omnino perficiam. Scio omnia
 hæc, beatissime Pater. Demus pacem esse fu-
 turam, tamen adhuc non puto instaurari at-
 que absolvi abs te posse Concilium. Rogas?
 quia nulla inter eos potest esse pax, quæ re-
 pentè ita queat sedare animorum contentio-
 nem, & omnem prorsus suspicionem, æmu-
 lationem laudis & gloriæ, & zelotypiam illã,
 tantorum malorum fontem, evellere, ut alter
 alteri planè velit fidere: sedare atq; evellere
 poterit, aut longitudo temporis, aut mors i-
 ipsa, & nihil præterea. Verùm tibi ætas acta

E

est, ut longum illud tempus expectare non possis.

Sed jam recolligam tibi ante oculos, veluti in unum fascem colligatas, ut remetiariis animo plurimas illas & gravissimas contentiones & difficultates, quæ ingressum ipsum Concilii impediunt. En eas tibi:

1 Quo pacto debeat intelligi illud verbum
UNIVERSALE.

2 Quo pacto LIBERUM.

3 Quo pacto CHRISTIANUM.

4 Quum dicimus, Sacram scripturam debere esse normam Conciliis celebrandis, an hoc debeat intelligi de vulgata editione, an de aliqua alia.

5 An comprehendatur in sacra scriptura tota historia Machabæorum.

6 An ipsa Scriptura sit subiecta Rom. Ecclesie.

7 Quum dicimus, judicandum esse juxta doctrinam Patrum, de quibus Patribus intelligendum sit.

8 Quænam hoc tempore verè dicenda sit prava doctrina.

9 An Lutherani audiendi sint in Conciliis.

10 Et, si audiendi, an de illis articulis qui sanciti fuere eis absentibus debeant loqui.

11 An debeant admitti, ut unà cum Episcopis sententias dicant.

12 Aut

12 Aut fortè constituere & ordinare iudices, vel arbitros.

13 An Pontifex possit rescindere Conciliorum decreta.

14 An Christus & Apostoli ore tenus docuerint alias doctrinas, quàm eas quæ continentur in quatuor Evangelistis, & in scriptis Apostolicis.

15 An prior atque alter saluus conductus datus à Tridentinis patribus, sit reformandus omnino ad exemplum Basiliensis.

16 An satis sit, adducere Concilia probata: an verò oporteat ostendere, ea habere fundamentum in sacris literis.

17 Quid sit intelligendum per ea verba, CATHOLICÆ ECCLESIAE CONSENSUS.

18 De qua Ecclesia intelligendum sit, cum quis dicit, APOSTOLICA ECCLESIA.

19 An Pontifex debeat absolvere ab obligatione juramentorum omnes eos Episcopos, qui in Concilio interfuerint.

20 An verò, ex decretis concilii Constantiensis & Basiliensis, intelligendi sint jam absoluti & liberati.

21 An Papa sit Concilio subjectus, & possit à Concilio judicari.

I nunc, & percurrere omnia Acta tum veterum tum novorum, & quotquot unquam fuere, Conciliorum, incipiens ab eo quod

fuit ab Apostolis celebratum in Hierusalem, usq; ad Lateranense sub Julio I I. & Leone X. quære, inquam, omnes omnium Conciliorum historias, & inspicere diligenter, quænam fuerint dissensiones, controversiæ & difficultates singulorum: nihil profectò invenies simile his nostris, ne centesimam quidem partem talium discriminũ, & articulorũ. Nunc videmur venisse in profundum malorum omnium. At cresceret adhuc (ne dubita) numerus controversiarum, quanto magis exagitantur. Et quarum tandem? Non possum satis mirari, quum earum pondus & magnitudinem considero, & ut rectè petant radicẽ & fundamenta (quæ illi cupiunt avulsa & eversa) totius tui & Sanctæ Rom. Ecclesiæ status. Si quis has conferat cum illis articulis, quorum gratia primò inceptum est de Concilio agi, id est, ut videremus num justificatio esset ex sola fide, an ex operibus; num Christianus esset certus de sua salute, atq; huiusmodi: inveniet hos esse multo quidem leviores, & quidem faciliores qui definiuntur.

Nam ab illis quos hæretici suscitarunt, pendet definitio, totusq; eventus & victoria, & Concilii, & totius Rom. Ecclesiæ. Neque deceret detrectare & effugere, quin primũ & ante omnia ageremus de personis, & quibus veluti armis pugnandum esset. Sic enim

opus

opus
Sed
tum
geni
qua
qua
& co
mus
brar
nato
enin
ti, A
fores
daris
Tric
gna
alii p
luti p
sum
posse
toru
nam
prov
inco
V
clem
dam
pauc
& co

opus est, priusquam in arenam descendatur. Sed proh Deum atque hominum fidem, quantum laborum & molestiarum, quantum ingeniorum (ut ita dicam) aut hominum, & quantum auri illic esset insumendum, priusquam de ipsis personis atque armis tractandi & concludendi finem fecissemus. omnes sumus experti, non potuisse Concilium celebrari minore sumtu, quam duodecim coronatorum millibus in singulos menses. fuerunt enim alendi atque ornandi Cardinales, Legati, Assistentes, Nuncii, Fiscales, Notarii, Cursores, Musici, Magistri ceremoniarum, veredarii qui quotidie à Roma Tridentum, & à Tridento Romam cursitarent: præterea magna pars Episcoporum & Theologorum, & alii permulti: & crediderim, quod ab his veluti præparatoriis, quæ impediunt litis ingressum (ut ajunt in foro) vix quinquennio te posses explicare. itaque ferè sexcenta coronatorum millia tibi periissent. Dico periissent, nam tanto sumtu adhuc nihil egisses: quin provocasses tibi, & sanctæ Ecclesiæ, majora incommoda & mala.

Vestra Sanctitas, quæ me hætenus tanta clementia & patientia audivit, sinat, ut quædam adhuc addam. Sæpe videmus accidere paucas quasdam & leviculas controversias, & contentiones, minimè quidem difficiles

naturâ, quæ in concordiam redigantur, & sopiantur: tamen non potuisse in concordiam redigi & sopiri, propterea quòd animi litigantium & concertantium essent offensi & exacerbati. Quin offendebantur & exacerbabantur cotidie magis, si quis non sinebat offensiones & exacerbationes illas paulatim beneficio temporis mitigari, ac veluti maturefcere. Si verò hoc in paucis & levioribus contentionibus accidit, quid dicendum est de tam multis & tam gravibus & difficilimis illis, de quibus hodie egi? Quum utrinq; animi sint irritati, & vehementissimè offensi, ardeantq; odio, & fermè furore? Age age, Pater sancte, quod prudentes medici in ulceribus desperatis solent. Commenda totam hanc de religione & de Concilio controversiam Deo & tempori, & sine ematurefcatur: interim non desunt alia bene multa, quæ cures, sub tanta rerum maximarum mole, veluti alter Atlas, quem poetæ fingunt cœlum humeris sustinere: at tu non fictè, sed verè, & orbè terrarum regis, & simul cœlestia, nam quæ hîc ligas, aut solvis, sunt illic ligata, aut soluta.

Beatissime Pater, quum hæc causâ mihi omnium gravissima videretur, attuli in medium tam multa, quanta maxima potui diligentia. Nunc ea potes omnia metiri atque æstimare animo. profectò enim ejusmodi sunt,

sunt
ea re
stran
cult
lii.
& ta
at de
tati
null
qua
gè r
non
re &
illa
stat
atq;
cilio
rêre
tot
die
pes
nia
mn
Co
bo
gra
cle
ria

sunt, ut nemo (meo quidem iudicio) possit ea refellere, neq; ullam semitam monstrare, qua possis, superatis tam magnis difficultatibus, venire ad instaurationem Concilii. Aut si quis fuerit tanta ingenii vi, tantaq; & tam divina prudentia & foelicitate, ut queat docere quo pacto te extrices ab his difficultatibus, quas jam attigi: certè non docebit, nullam tibi inveniet viam aut remedium, his quas nunc sum dicturus. reservari enim longè majora, multoq; graviora, quæque tua S. non poterit audire sine magno animi dolore & turbatione. Quid vis amplius? Præclara illa Germania in suis comitiis Imperialibus statuerat, ut omnes Imperii Principes, status atq; ordines subjicerent se Tridentino Concilio, ejusq; decreta susciperent, atq; illis parerent. Nunc verò in comitiis Augustanis totum id abrogavit: retraxit, inquam, ab obedientia illius Concilii omnes prorsus Principes, status & ordines: & quantum in Germania fuit, rescidit, ac pedibus conculcavit omnia acta & decreta illius. I nunc, & instaure Concilium, ne parcas sumtibus, ne parcas laboribus aut periculis: referetur tibi magna gratia, feceris magnum operæ precium: Ecclesiam ruentem sustentabis, sempiterna gloria nominis tui, scilicet.

Sed habeo universa capita, quæ Augusta-

na comitia in religionis modò caussa statuerunt: quare consultum puto, ut explicem hîc ordine omnia.

RECITA PRIMUM.

I. *Quum de stabilienda publica pace Imperii proceres omnium ordinum convenissent Augusta, visum est proximam esse, & compendiariam hujus ineunda viam, si primum de religione, cujus titulo, vel falso vel vero, hætenus multa exitiosa bella concitata, decideretur.*

Toties decessores tui gravissimis literis commonuerunt Cæsarem, Regem Rom. aliosq; Imperii proceres, ne ponerent falcem in messe aliena: hoc est, ne de religione ipsi agerent; sed eam materiam remitterent ad eum, ad quem spectat, nimirum ad summum Pontificem. Nunc vide ut paruerint. Primum de religione (inquiunt) volumus decidere. Potuisses ferre, si dixissent: Tractemus inter nos, quæramus viam componendi dissidii, sed nihil statuamus sine summo Pontifice. Verum apertè dicunt, se velle decidere. quasi res ad eos pertineat: & quod adhuc pejus est, decidunt prorsus contra te, atque abrogant (ut videbis) quicquid aliquando Comititia pro te statuissent. Quid ab illis expectandum porrò? Certè nihil aliud, quàm ut pergant omnem tuam potestatem ac jurisdictionem sibi usurpare.

RE-

RECITA ALTERUM

Caput.

At verò ad hujus rei legitimam tractationem, quum generale aut nationale Concilium, omnibus liberum & commune, necessario requiratur.

Subsiste obsecro, sine me hîc aliquid ponderare, antequam totum caput legas. Decernunt primùm, de habendo Concilio omnibus libero, & communi. Quid aliud putas illos sibi velle his verbis, quàm quòd velint celebrare Concilium, ubi Lutherani, prophanas, possint ipsi singulos articulos controversos, non modò laxis habenis, & palàm audiente populo disputare, & excutere, sed etiam definire, & decidere? Quare si tu nunc novam indictionem adornares, eosque ad Concilium invitares, confestim audires, se jam vidisse quale Concilium in animo habueris celebrare: hoc est, in quo tuæ tantùm creaturæ possint sententiam dicere: ac nolle accedere, aut consentire, sed velle Conciliũ omnibus liberum & commune. atq; hîc suorum Comitiorum decretum allegabunt, à quo nec latum unguem sinent se avelli. **PERGE NUNC RECITANDO:**

Idq; hoc tempore ob plurimas difficultates convocari opportunè nequeat, placuit Regia Majestati, Imperatoris vicario, ceterisq; ordinibus, de hac

re juxta subsequentes conditiones tractationem in aliud temporis spacium rejicere.

Utinam non rejecissent in aliud tempus, sed rectà nunc adornassent, celebrassentque. Rogas? Quia nunc aliqui restitissent, ne prorsus omnia nostra condemnarent, seq; prorsus à nostro consortio segregarent. Sunt enim nonnulli, sunt qui adhuc nostras partes utcunq; tuentur: sed labente tempore aut hi morientur, aut patientur se quoq; mutari, quemadmodum alii. multi enim cotidie ex nostris desciscunt ad illos: quum vicissim vix millesimus quisq; ex illis, qui aliquando Lutherani sunt facti, ad nos soleat redire. Quare omnino videntur velle vincere cunctando, ut sunt astuti: hoc est, expectare illud tempus, quo jam paucissimi appareant in Germania, qui veterem religionem defendant, & tunc demum inter se Concilium celebrare: & tunc demum condemnatis omnibus nostris dogmatibus ac doctrinis, se eximere ab obedientia atq; jugo istius Sanctæ sedis in perpetuum.

Sed cum plurimarum difficultatum, quibus impediatur Concilium, ne possit celebrari, mentionem faciant: quas alias difficultates eos intelligere putas, nisi eas ipsas quas ego hodie ante oculos tibi posui? quòd scilicet minimè possit nobis convenire cum illis
in

in XX. & amplius gravissimis articulis: nisi fortè velis putare, eos ignorare, aut non habere in promptu illas tam multas difficultates. Pater sancte, nolo quidem affirmare, eas esse illic omnibus notas: sed id dixerim, notas esse in Germania bene multis, qui sunt in negotiis versati, vicissimq; tuorum nemini. vide quid dicam: utinam nos non vincerent diligentia, sicuti vincuntur caussa.

RECITA TERTIUM

Caput:

3. *Statuunt ergo, & se suosq; sanctè id observaturos jurant, ne quis religionis caussa alteri bellum inferat, sed publica pax servetur integra usque ad Concilium.*

Multi, cum timerent sibi bellum inferri, si se Protestantibus conjunxissent, à Regia Majestate ac reliquis tum spiritualibus tum laicis Principibus, qui nobiscum consentiunt, non audebant hiscere, aut non usq; adeò aperte discedere ab institutis Rom. Ecclesiae: & qui jam discesserant, conabantur uti quaedam moderatione, metu scilicet belli. at nunc, metu hoc, ac veluti freno sublato, profectò actum est in Germania de rebus nostris.

RECITA QUARTUM.

4. *Id quò fiat commodius, cautum esse volunt, ne*

quis ex eo numero qui Pontificalium sunt partiū,
Augustanae confessionis doctrinam ac religionem temere carpat, vexet, & contemnat: rursus nec Augustanae confessionis patroni Papistarum religionem inturbent, sed bona pace transigatur inter eos usq; ad Concilium.

Bone DEUS, quid hīc audimus! Tuæ leges clamant, eos qui confessionem Augustanam sunt amplexi, esse hæreticos & schismaticos: & si quem illiusmodi potes in Italia, in Gallia, in Hispania deprehendere, conjicis in ignes, atq; aliis tormentorum generibus merito afficis. At egregia ista Comitia, magna gravitate decernunt, ne quis eos carpat, ne quis vexet, néve contemnat. O indignum facinus! en quò ventum est. Sed adhuc deteriora sunt, quæ sequuntur.

RECITA QUINTUM:

5. *Item liberum sit cuivis qui sub Papatu sunt, sese sine fāmæ & propriorum bonorum dispendio, Evangelicis (uti vocant) partibus adjungere, etiā ex Prelatis, & aliis ordinibus: absq; tamen Capitulorum, Episcopatum, Monasteriorum, &c. bonorum immutatione & dispendio.*

Quid jam restat amplius? Tua Sanctitas habet Lutheranos pro infamibus, atque eos exuit omnibus bonis: Comitia verò statuūt ex diametro contra te, atq; inquit, licere
sine

sine jactura famæ aut bonorum, deserere aut abjicere partes & doctrinam Sanctæ Rom. Ecclesiæ. Quis unquam putasset, Lutheranam hæresim huc evasuram? Proh Deum atque hominum fidem, quæ monstra videmus? Grave sanè atque intolerabile fuisset, si solis laicis permisissent, uti illis liceret sine ulla infamia fieri Lutheranis; gravius atq; intolerabilius, si presbyteris ac monachis: sed gravissimum atq; intolerabilissimum est, quod etiam Abbatibus atq; Episcopis, quos decet reliquos in officio continere. Ergo tui presbyteri, tui monachi, tuiq; prælati, qui sunt consecrati, atq; habent characterem indelebilem, possunt nunc ex decreto Comitiorum illam Sacrosanctam unctionem ludibrio habere, possunt uxorem ducere, & dedere se tam libidinolo vitæ generi. Sed adhuc deterius est, quod sequitur: nam agitur de bonis Ecclesiæ.

RECITA SEXTUM.

6. Bona Ecclesiastica, ante Passaviensem confederationem occupata à principibus, civitatibus, cæterisq; ordinibus, & in alios usus collata, nec vi nec legibus repetantur, neq; repetere volentis Camera Imperatoria potestatem faciat.

Hactenus Præpositi, Canonici, Monachi, & id genus plurimi, sperarunt fore, ut possint

aliquando repetere & recuperare bona suarum Ecclesiarum, quibus fuerant expoliati: sed nunc miseri omni spe destituti, fortè cogentur fieri Lutherani, ne fame pereant. Bona atq; opes Ecclesiarum, beatissime Pater, sunt nervi tuæ autoritatis ac potestatis, quare malè agitur, si hi inciduntur ac debilitantur, ut hîc vides. Certè omnes illi tam multi, qui interea dum illa bona possidebant, aut rursus in eorum possessionem restitutum iri sperabant, tuas partes ardentè tuebantur, aut frigidè posthac tuebuntur, aut prorsus desciscent abs te.

PERGE ET RECITA MIHI

Septimum.

7. *Jurisdictiones Ecclesiastica, & ministeriorum constitutiones, ante Pataviensem confederationem non ereptæ ordinariis ac legitimis collatoribus, non eripiantur: ita tamen, ut illi juxta illius loci, oppidi vel ducatus religionem, sive Augustana doctrina, sive Papistica sit, ministros ordinent idoneos, & de horum convenienti salario inter se amba partes pacificè transigant.*

Pater sancte, vide quid Lutherani vicissim nobis condonēt, quum tam multa & tam gravia statuerint pro te ipsis. Bona, inquiunt, & jurisdictiones Ecclesiasticæ, quæ non fuerunt ereptæ ante confederationem Pataviensem,



ensem, non eripiantur. At post illam confœderationem ferè nulla facta est vel bonorum vel jurisdictionum occupatio: sed quicquid occupatum est, multo antè occupatum est. Quare ex hoc capite nos nihil commodi cōsequimur: imò adversarii etiam ex hoc ipso magnum commodum consequuntur, nimirum confirmationem bonorum, ac jurisdictionum occupatarum.

AT VIDEAMUS OCTAVUM.

8. *Denique illa ipsa bona Ecclesiarum occupata, in usum pauperum, scholarum & ministrorum sustentationem, hospitalium, xenodochiorumq; edificationem seu fundationem conferantur.*

Hoc perinde est, ac si dixissent, nullum existere Purgatorium, non esse orandum pro mortuis, imò Missam non esse sacrificium pro vivis ac mortuis. nam abrogant fundationes, ac statuunt bona testatorum in alios usus transferenda, quàm in missas recitandas vel canendas pro salute animarum: ajunt se velle illis bonis sustentare pauperes, scholas, ministros Ecclesiarum, ac hospitalia. At duplici vulnere hîc afficimur, primùm, quòd abrogant, quântum in ipsis est, Purgatorium: alterum, quòd eisdem bonis, quibus alendū ac sustentandum fuerat Purgatorium, & re-

liquæ doctrinæ quas tenet ac approbat hæc Sancta sedes, nobis bellum inferunt. Quum enim dicunt, se velle scholas instituere, ac ministros Ecclesiarum alere: dicunt se velle habere seminarium hæreticorum, ac veluti militum, qui nos perpetuò oppugnēt. Nam quid aliud nisi hæreses docentur in illis scholis, atq; Ecclesiis? Pater beatissime, quanto magis introspicias, tanto plus veneni videas in his articulis.

RECITA NONUM.

9. *Liberum sit unicuiq;, religionis causa aliò, rebus suis & existimatione integris & illasis, migrare: ita tamen, ut magistratui debita, juxta ejus loci statas leges, bonorum portio (quam Gabellam jurisperiti vocant) pendatur. Et qui servi sunt mancipati, hac ratione servitute minimè liberentur.*

In quinto statutum est, licere unicuique, etiam Prælati, sine famæ ac bonorum dispēdio, discedere à tua obedientia, tuisq; doctrinis, & sequi Lutheranam. nunc statuitur, ut liceat etiam vertere solum, mutare dominū, sine ulla jactura honoris ac bonorum. Quare si quis Germaniæ Princeps vellet mordicus retinere veterem religionē, subditi venditis bonis aliò diffuerent. Vide quanti momenti sit hoc nonum caput, quod primo aspectu nihil

nihil novi videtur statuere à quinto. Fraenum, inquam, injectum est Principibus, ne impediant eos qui volunt Lutherani fieri, ne fortè fiant corpus sine anima, hoc est, Princeps sine subditis.

RECITA DECIMUM.

10. *Et quia generale Concilium, in quo liberum sit omnibus, tuto, quid de religione sentiant, palàm effari, haëtenus dilatatum: minimè vetita aut interdicta sint nationalia, provincialia, seu particularia concilia, colloquia & conventus, modò publicam pacem non perturbent.*

Hoc quidem, ac XII. mihi videtur omnium enormissimum ac pestilentissimum. Hic primùm repetunt de habendo Concilio, in quo omnibus, hoc est, etiam Lutheranis, proh nephas, liberum sit, impunè palàm dicere contra te. Quid illic putemus eos esse dicturos? qua modestia de tuo primatu, de nostris Misis, de que aliis controversis articulis disputaturos? Horresco vel cogitans. Deinde hoc audi: Si, inquiunt, generale Concilium differetur, liceat interea adornare nationale, aut provinciale, seu colloquium, seu conventus. Tandem enim res huc redibit: id tandem, inquam, acturi sunt Germani, quod semper post natam hanc controversiam spectarunt, & summis votis optarunt:

F

nempe celebraturi sunt sibi nationale Concilium, quo se in perpetuum dividant ac separent à tuæ sedis unitate, multo pejus quàm Græci. Utinam non ita sit! sed vaticinor non sine lachrymis (ut vides) ita futurum.

RECITA UNDECIMUM.

11. *In quibus locis hætenus utraq; religio concessa fuit, & ceremonia admissa, nulla per violentiam ejiciatur, usq; ad Concilii generalis decisionem.*

Rectè hoc, per violentiam non ejiciatur. Sed loco violentiæ adhibebitur alia machina, quæ in hoc genere tantundem, aut etiam plus valet: nempe artes, sollicitationes, conciones, obtrusi libri, libelli & picturæ, ad spectandum & legendum. Sic enim commodius à paucis quibusdam instillantur hæreses, ut venena, quàm per vim multorum. Quare si in quantumvis magna civitate reperiantur duntaxat viginti, qui labe Lutherana sine infecti: horum sermones veluti cancer serpunt, & possunt ibi reliquam multitudinè brevi inficere. Ita sunt diligentes & solliciti: ac mirabile dictu est, non idem vicissim contingere, ut scilicet nostri usq; ad eò cordi habeant nostram doctrinam, neque in ea promovenda sint ita anxii.

SED RECITA XII. PROH
dolor, quale hoc erit?

12. *Qua*

us. *Quæ in prioribus conventibus Imperialibus decreta sunt, in quibus ab hujus novissimi Augustani conventus constitutionibus vel paululū quid diversum ac contrarium fuerit, abrogentur, annihilentur, & cassata habentur.*

An non dixi paulo antè, autoritate horum præclarorum Comitiorum esse sublatum atq; abrogatum, quicquid in prioribus Comitibus actum fuerat ad commodum rerum nostrarum? Certè hîc prorsus abrogata est sententia, quam anno 1523. Cæsar tulit contra Lutherum; atque omnes ejus sectatores. Abrogatum est illud decretum, cui nomen INTERIM, in quo licet quædam inessent contra nos, puta de conjugio sacerdotum, & de communione sub utraq; specie: tamen plurima inerant contra Lutheranos. Et nūc, inquam, sunt abrogata. Præterea abrogatum est decretum, quo anno 1548. omnes Principes, status, atq; ordines Imperii submiserunt se Concilio Tridentino. Audis hoc Pater sancte? Recitavi hodie ipsum decretum, ubi sunt hæc verba: *Omnes & singuli status, privati & publicè sese tali Concilio (de Tridentino loquitur) adjungant & subjiciant, ac concordem ejus decisionem & determinationem obedienter expectent & suscipiant, nec non ei pareant atq; obsequantur.*

At nunc audi quid statuant: Quæ in prio-

ribus conventibus Imperialibus decreta sunt, abrogentur, annihilentur, cassentur. Proh dolor: nam sæpe cogor suspirare. Quo fructu ergo potes idem, atq; eisdem conditionibus Concilium instaurare, si vides Imperialia Comitia, hoc est totam Germaniam, le tam apertè retraxisse ab illius obedientia, atq; ipsum etiam totum Tridentinum Concilium (quantum in illis est) abrogasse, ac pedibus conculcasse? Dicant quod volent: ego semper magis magisque in ea opinione confirmor, te non debere de instaurando Concilio cogitare.

SUPEREST XIII. QUARE

hoc quoq; recita:

13. *In hac tamen pacificatione, confœderatione, ac novis privilegiis, omnes sectæ, vel hereses, præter Augustanam confessionem, & Pontificiam, exclusæ sint, nec nobiscum participant quicquam.*

Ecce jam factam confœderationem in caussa religionis inter Germanos, ac etiam sibi concessisse privilegia. Quid ergo inquirunt, se expectare tempus Concilii celebrandi? Mihi hîc videntur jam peregisse, atq; absolvisse totum Concilium. Damnarunt enim Anabaptistas, atq; alios sectarios, qui eos excluderint à participatione illius pacificationis, confœderationis, ac privilegiis: quin nostram

stram

stram quoq; religionem non obscure con-
demnarunt, quum statuerint Lutheranos
non esse carpandos, vexandos, neq; conte-
mnendos: quin posse eos id genus doctrinæ
profiteri, sine ullo aut famæ, aut bonorum
dispendio: quumq; omnia abrogarint, quæ
vel tantillum facerent pro hac sancta Rom.
Ecclesia (Pondera mihi ea verba, PAULU-
EUM QUID.) dico iterum, illos nostros
adversarios sub prætextu ac nomine Comi-
tiorum, Concilium jam celebraffe.

Sed jam recita pauca illa quæ reliqua sunt,
ut finiamus tam funestam materiam.

*Hæc ordinant & decernunt, seq; sanctè observa-
turos pollicentur, Regia majestas, & omnes Impe-
rii status; atq; Camera, ut hæc rata habeat, jubent.*

Beatissime Pater, hoc te scire, ac memoriâ
diligenter retinere necesse est: Serenissimus
rex Rom. tres Archiepiscopi, Electores, atq;
alii omnes (eos dico, qui adhuc retinent tuâ
obedientiam) consensere in hæc omnia, quæ
nunc audisti: ac sanctè etiam jurarunt, se ea
observaturos. Quare si tu Concilium (ut
dixi) indiceres, in quo non appareret, omni-
no liberum futurum esse omnibus, tutò pa-
lâm dicere quid sentiant: neque Regia ipsa
majestas, neq; illi tui Archiepiscopi, neq; re-
liqui tuarum partium Principes ac civitates,
ullo modo possunt sine perjurio, sine infa-

mia, & rerum suarum omnium periculo, ab istorum Comitiorum decretis discedere, ut in tuum Concilium consentiant. Cur ergo indicas? cur celebres? Opus enim esset, ut rursus fieret Comitium, ubi hæc decreta prorsus abrogarentur, ac nova concinnarentur, quibus tota autoritas ac potestas celebrandi Concilii tibi uni permetteretur. Sed de hoc desine cogitare. præcido enim tibi, sine ulla exceptione, omnem spem: imò hoc nephando fundamēto iacō, quotidie in pejus ruent res nostræ, quantum ad Germaniam attinet. Ac puto quidem te cogitaturum de rescindendis tua autoritate illis pestilentibus Comitiiis: ac Cæsari & Rom. regi imperaturum, ut ipsi quoq; ea rescindant: quin etiam interminaturum, ne accedant ad comitia, in quibus talia tractantur. sed frustra omnia, mihi crede.

Nunc ubi sunt magnificæ illæ promissiones Cardinalis illius (scis quem dicam) qui quotidie literis ac nunciis affirmabat, venisse nunc illud tempus, quo tota Germania pertræsa suarum hæresum, confluxura esset ad unitatem, ad obedientiam, atq; ad oscula pedum vestrorum? Memini me in literis illius legisse, audientibus in consistorio omnibus purpuratis Patribus, hanc clausulam: *Collegit nuper ad obedientiam istius Sanctæ sedis, Cardinalis*

lis

*lis Polus totam Angliam. Quare ejus exemplo col-
ligemus nunc ex his Comitibus totam Germaniam.*
Sic omnino scriptum erat: at quod pejus est,
adhuc verba dat, & vult nos lactare inani spe.
Ait enim, se mox in patriam rediturum, &
curaturum illic nescio quid sua autoritate,
qua se jactat plurimum valere. At omnes no-
stri, qui inde aut veniunt, aut scribunt, affir-
mant illum haud magni fieri.

Beatissime Pater, scimus omnes, qua fide
ac reverentia Sereniss. Rom. rex suspiciat ac
veneretur hanc Sanctam sedem. Quare si e-
jus Regia majestas non potuit sua autoritate
nobis nunc avertere tam magna mala, hoc
est talia decreta, qualia recitavi: certè crede-
re debemus gravissimas fuisse causas, quibus
scilicet nullus Cardinalis, aut alius quivis, re-
medium facile invenerit.

Hic finem dicendi facio, & veniam peto.
nam vereor, ne nimis proluxa oratione tædiū
attulerim. Cras dicam reliqua, atq; ea (mea
quidem sententia) multo graviora, & multo
periculosiora, quàm ea fuerunt quæ hodie at-
tigi. Argumento hoc utar: Si tanta esset tua
vel sapientia, vel fœlicitas, ut posses evadere
atq; superare omnes eas Syrtes, omnes Scyl-
las & Charybdes, de quibus dixi: ita ut fracta
& debilitata tuorum hostium temeritate &
pervicacia, posses instaurare, continuare atq;

absolvere totum Concilium, faustè & fœliciter, hoc est stabilire & corroborare, illis invidis & frementibus, autoritate tui primatus, & sacrosanctæ istius Sedis, cum omnibus tuis doctrinis, consuetudinibus, ceremoniis, ac ritibus qui nunc sunt in usu. Si, inquam, omnia hæc posses: tamen (me quidem consulente) deberes ab eo Concilio abstinere. Nam proculdubiò necesse esset, posteaquam illud absolvisset, agere de exequendo, & colligere atq; educere exercitum adversus eos, qui noluissent decreta tua suscipere. Sed hoc opus, hic labor: hoc summum esset & Romæ, & totius Italiæ periculum: quemadmodum cras dicam, si Dominus voluerit.

ACTIO ALTERA SECRETARII: AN PAPA VI

atq; armis possit imperare Protestantibus.

Tridentini Concilii decre-

ta.

BEATISSIME PATER:

DIvvs Lucas narrat, Christum aliquando ita dixisse. RECITA: *Quis ex vobis volens turrin edificare, nonne prius sedens computat sumtus, qui sunt necessarij, si habeat ad perficiendum? ne, postquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere,*

omnes

omnes qui vident, incipiant illudere ei, dicentes: Quia hic homo coepit adificare, & non potuit consummare. Aut qui rex iturus committere bellum adversus alium regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? alioquin adhuc illo longè agente, legationem mittens, rogat ea quæ pacis sunt.

Quibus verbis Christus docet, tam publicos quàm privatos homines debere uti magna prudentia & cautione, quoties suscepturi sunt aliquam provinciam: atq; illa tantùm aggredi & amplecti, quibus vident suas vires posse sufficere: ne fortè contingat, eos digito monstrari, irrideri, atq; (ut ille ait) dici, Hic est. Hæc doctrina nunc ad tuam Sanctitatem pertinet in primis: quæ quum de instaurando Concilio cogitat, cogitat quidem de suscipienda atq; aggredienda re atq; provincia tanti ponderis atq; momenti, ut nulla possit esse majoris. Non solùm enim prospiciendum est, possisne magnos illos nodos, omnino Gordianos, dissolvere, & difficultates, de quibus dixi, superare, priusquam Concilium perficias: sed an, posteaquam perfeceris, futurum sit ut possis exequi, & decreta tua ut ferventur imperare. Hoc opus, hic labor est. Mihi verò perinde videtur esse, si quis instituat & absolvat Concilium, quod exequi nullo modo possit: ac si quis jaciat fun-

elici-
invi-
us, &
is tuis
iis, ac
m, o-
onfu-
inere.
quam
& col-
s eos,
d hoc
come,
odum

R A
A V I
us

am ali-
Quis
nonne
si sunt,
tquam
rficere,
omnes

damenta alicujus fabricæ, quam minimè ad finem perducere queat.

Num ipsum Concilium queat abs te instaurari & perfici, dixi heri multis quidem verbis; sed nondum omnia attigi. Potuissem enim multo plura: sed quoniam addidi, Si tanta esset tua vel sapientia, vel scelicitas, vel ambo simul conjuncta, ut expeditis omnibus nodis, omnibus Syrtibus, Scyllis & Charybdibus superatis, posses faustè atq; feliciter Concilii extremum actum videre; adhuc tamen nollem tibi esse autor, ut illi operi manum admoveres: propterea quòd executio illius trahit secum nimis altos montes plurimorum incommodorum & periculorum. Qua de re hodierno die orationem instituam, at majore (ut spero) brevitate quàm heri: quanquam multo graviora sum dicturus. Tantùm rogo tuam Sanctitatem, ut quemadmodum heri, ita nunc quoq; patienter & æquo animo, sibi rectè consulentem audire me velit.

Finge Concilium esse peractum, stabilitam illius autoritate tuam autoritatem & potestatem, confirmatas tuas doctrinas, tuosq; ritus, cõdemnatos atq; explosos adversarios: fac inquam, ita habere omnia. At hi nolent parère: quin immò condemnabunt omnia tua decreta. Atque hoc ipsum certum

tibi

tibi persuadeas. Quòd si quis tibi aliam spem
injicit, profectò aut te decipit: aut qualia sine
illorum ingenia, potentiaq; atq; opes, non
agnoscit. Ex multis verò unam tantùm nunc
causam affero, quam obrem sponte minimè
sint parituri. Si velimus spectare id, quod i-
stius Sedis tuæ existimationem & majestatem
debet: Concilii Patres nihil aliud possunt a-
gere (neq; tu illis, ut agant, permittes) quàm
stabilire tuam potestatem, & prorsus omnes
doctrinas, consuetudines, ceremonias, & ri-
tus qui sunt in usu sacrosæctæ Ecclesiæ Rom.
& à Lutheranis reprehenduntur. Sic enim
nos decet facere, ne videamur fateri errasse. si
vel tantillum istorum emendaremus. Nostri
verò adversarii usque ad eò sunt à nobis alic-
ni, usque ad eò toto animo adversi, ut qui tam
acerbas inimicitias nobiscum exerceant, &
odio plusquam Vatiniano nos, nostraq; o-
mnia prosequantur, ut omnino impossibile
sit fore, ut unquam decreta illa velint susci-
pere.

Tua Sanctitas forsitan dixerit, illos non
esse tam multos numero, neq; ad eò potètes:
itaq; sperare se, eos plenos metu & trepidati-
one futuros, neq; ampli⁹ restituros, sed se sub-
missuros, ubi audierint tuam Sanctitatem exer-
citus parare. Utinam verò ita accideret! at ego
longè aliud metuo. Nam planè scio, illos &

numero & opibus longè plures, potentiores-
 que esse quàm multi opinantur: quemadmo-
 dum non multo pòst ostendam. Nam quo
 pacto se adversus hujus sedis, & Cæsaris, alio-
 rumq; Principum potentiam defendere per
 XL. adeò annos, & in suis opinionibus per-
 sistere obstinatè potuissent, si pauci & imbel-
 les essent?

Quare iterum affirmo omni asseveratio-
 ne, eos recusaturos parère tuo Concilio. Atq;
 hìc nihil aliud supererit, nisi ut adversus eos
 bellum geras. Nunc ergo videamus, quorum
 Principum vires & arma tecum sis habitur⁹:
 & rursus, cujusmodi illorum Principum &
 confœderatorum potentia existat, contra
 quos bellum gesturus sis. Neq; enim potes
 judicare, num victoria speranda, & quantus
 tibi pecuniarum atq; militum apparatus ne-
 cessarius sit, nisi hæc duo, quæ attigi, fuerint
 tibi diligentissimè cognita atq; perspecta.

Quod attinet ad primum: Exclusio (ut
 quidam inquit) multorum, est inclusio uni-
 us. Itaq; sic progrediar, ut primùm recitem
 omnes eos Principes, quos crediderim tecum
 arma non esse sumtuos (dico etiam ex his,
 quos forsitan putabas sumtuos) atq; ita vi-
 debimus, quòsnam bellifocios & adiutores
 habiturus sis.

Principiò neq; Ferdinandum Romano-
 rum,

rum, neq; Maximilianum Boëmiæ, neq; Sigismundum Augustum Poloniæ reges habiturus es: neq; omnes eos Principes, & liberas civitates Germaniæ, quæ adhuc inter nostros censentur: neq; Angliæ Reginam: multo minùs Henricum Gallorum regem, aut Ferrariensium Ducem: ac neque Venetam Rempub. quæ tam potens est, ut juvare te (si quidem vellet) magnopere posset.

Video tuam Sanctitatem mirari, & intra se dicere: Quæ ratio tui consilii est? cur ita censes? fore, ut non omnes hos, quos recensuisti, aut saltem non majorem partem habiturus sim mecum in bello contra hæreticos gerendo? Respondeo: Ferdinandum, & Maximilianum ejus filium, sanctè constituisse, velle se cum omnibus Principibus, statibus & ordinibus Imperii, pacem & firmissimam amicitiam servare, & malle propria commoda quàm aliena. Dico; Ferdinandum cupere fratri Cæsari succedere in Imperio, cui jampridem etiam est destinatus: filium autem ejus, successorem sibi secū dum institui, quem quidem tota Germania valde amat & colit: ac proinde multi putant fore, ut facilè quod sperant consequantur. nihil verò illos æquè posset in re tanta turbare atq; impedire, quàm si nunc pro tua potestate restituenda, cōtra Germaniam, quæ illis patria est, arma caperent.

Rex Romanorum.

Rex Boemiæ.

Rex Polonia.

Rex Poloniae, quum multo magis pendeat à socero atq; affine suo (quos cupit ornatos successione Imperii) quàm ab ullo mortalium, prorsum abs te iuvando abstinabit: præterquam quod è re ipsius non est, accurrere ad fundendū sanguinem, & provocandā sibi iram atq; inimicitiam nationis Germanicæ in perpetuum. Deinde magna pars eius regni incepit magis amare doctrinas atque instituta Protestantium, quàm tua: præsertim hi, qui nobili genere orti sunt: ita ut parum abfuerit, quin præterita æstate Sanctitati vestræ valedixerint. Quanquam verò Episcopum Veronæ eò ablegaveris, ut Polonos in officio cōtineat: tamē vix continebit, si mense Aprili coibunt Comitia: ita sunt omnium nobilium animi concitati, atq; à tuis hostibus sollicitati.

Inter Principes Imperii existunt quidem nonnulli, qui cuperent restitutos veteres ritus, veteresq; ceremonias: sed has potiùs suo ipsorum, quàm tuo arbitrio. vix enim unum atq; alterum reperias, (ex illis dico, qui inter tuos & inter Catholicos, ut ajunt, censentur) qui non multa in suis urbibus passi sint abrogari & aboleri. ergo hi mallent præsentem statum suarum Ecclesiarum conservari.

Et magnopere errat, qui fortè existimat, eos malle tuo, vel alterius cujusvis Principis

a. b.

arbitrio, quàm suo ipsorum, gubernare suam
 ditionem, tam in spiritualibus, quàm in tem-
 poralibus. Quin audi hoc diligenter: Antè
 quàm apud eos ingravescerent hæc mala atq;
 hæreses, agnoscebant duos dominos, ac velu-
 ti duo capita: te inquam, & Cæsarem, itaque
 in hoc motu & in hac rerum mutatione læ-
 tantur, se uno ex his veluti vinculo solutos
 esse, factosq; liberiores, atq; ita non libenter,
 crede mihi, utrunq; vetus jugum de integro
 suscipient: ut qui longè libentiùs abjicerent
 (si quo modo possent) alterum quoq;

Verùm est alia ratio multo gravior, & for-
 tior. Nam tametsi est illis quidem vetus re-
 ligio cordi, tamen multo magis libertatem
 amant, & eam sibi conservatam cupiunt. At
 nunc metuerent labefactatam iri, aut forsità
 aliquando ereptam, si reliqui Principes ac
 membra Imperii debilitarentur, aut forsitan
 extinguerentur. Sipienti sat dictum. Certè
 puto me rem magnam innuisse.

In summa: ego quidem non possum ad-
 duci, ut credam, ullum Principem tantopere
 esse affectum veteribus nostris opinionibus
 & doctrinis, ut propter eas velit pati in dis-
 crimen adductam eorum libertatem. Quis
 nesciat, totum corpus reddi imbecillius, &
 ad reliquas partes corporis sustentandas &
 defendendas minùs aptum, minusq; forte, si

patiamur unum aut alterum ex membris abscindi? Aut igitur non caperent arma pro te, ut dixi: aut non caperent eâ alacritate, atque ita seriò, ut par esset, itaq; semper esset ab illis aliquid metuendum. Nam quid firmitatis possis sperare ab his, qui pro extraneis suscipiunt bella, contra suos non modò populares & cives, sed etiam affines & cognatos? Facile (mihi crede) illos jus patriæ, jus sanguinis, jus veteris amicitia, & natura ipsa in concordiam ex improviso redegerit, exclusis omnibus tum Italis tum Hispanis. Nec puto esse in Catholicis Principibus tantum inimicitarum, & tam capitale odium adversum reliquos, ut possimus sperare, eos usq; ad exitum ejus belli, quod susciperetur, constanter unà tecum permansuros.

Anglia.

Angliæ regnum, valde magnum quid fecerit, & sat faverit parti nostræ, si prorsus repulsam dederit erroribus, quibus jam erat imbutum. certè audimus eos esse longè lateque sparsos, atque ita radices egisse, ut licet multi cotidie autoritate & diligentia Cardinalis Poli in carcerem condantur, multi que exurantur (tres enim Episcopi paucis mensib⁹ fuere combusti, ut sileam de reliqua turba) tamen videtur potiùs augeri numerus nostrorum adversariorum, quàm imminui. In summa, non est sperandum fore, ut inde

Card. Polus.

hoc

hoc quidem tempore possis ullam pecuniam extorquere. Accedit, quòd Philippus Hispaniarum Princeps, qui Mariam illam Reginā duxit in uxorem, quum jam desperet ex ea prolem se suscepturum, retraxit se ex Anglia in Belgicam: unde ingentibus largitionibus oppugnat eorum Anglorum animos, penes quos existit autoritas deferendæ coronæ illius regni. anxie enim cupit inaugurari in regem, ut possit etiam obeunte Regina illa sine hærede, aut ducta Elisabet altera sorore, aut quacunq; ratione regnum retinere. quare tota Anglicana pecunia aliis usibus nunc destinata est.

*Philippus
Hisp. prin-
ceps.*

Rex Galliarum aut pacem nunc faciet cū Cæsare, aut minus: (hoc enim magis viri prudentes putant.) nisi fecerit, non debes tibi persuadere, fore ut, interea dum unà cum Cæsare Germaniam bello adoriere, velit ipse fabulæ spectator esse, & sinere Germaniam subigi. Hoc (credat mihi tua Sanctitas) nunquā ille permissurus est. Quanquam enim illi sis dicturus, te tuis exercitibus velle efficere tantum, ut Germania decreta Concilii & veterem religionem cogatur suscipere, neque te passurum ut eorum libertas alioquin opprimatur: & quanquam eum obtestareris, & per omnia quæ sunt sancta adjurares, ne tibi ipse, qui usq; ad eò tuæ S. Sedis fautor & defensor

Rex Galliarum.

esse solet, in tam sancto opere promovendo impedimento esse vellet: tamen nihil proficeres, hanc ego tibi spem sine ulla exceptione præcido, ille te quidem colit, atq; aliis in rebus omnibus, opinor, morem gereret: in ea una (si velimus id quod est sincerè judicare) nec vellet, nec posset. Nam quum tanta sit de laude & gloria) (laudē & gloriam quā dico, nihii possum majus dicere) inter illum & Cæsarem contentio atq; æmulatio, nunquam extorquebis ab Rege illo aliquid, quo possit cognoscere, fore ut sua imminuatur gloria, hostis sui crescat. At dices: Quid si pacificatio inter eos consequatur? an non possemus tunc sperare, eum domi mansurū, & non futurum nobis impedimento, interea dum in Germania bellum gereremus? minime omnium. Nulla enim pacificatio inter eos sequutura est, quæ possit extinguere illorum animorum ardorem: atq; ita nulla tutata & diuturna erit. Et sat puto me apud sapientissimum Principem de Gallo dixisse.

Resp. Veneta.

Veneti ejusmodi sunt ingenii, ut si quis eos stimulaverit, & propriam eorum libertatem vel jurisdictionem violaverit, confestim clament, & de repellenda injuria, & de ulciscenda cogitent. Atque in hac re neq; opibus, neq; ullis incommodis parcunt: verum pro tutanda summorum Pontificum, aut aliorum

riorum Regum & Principum dignitate, aut recuperanda libertate non solent admovere manus ad thesauros, neq; suas classes & milites educere: multo minus volent nunc tam difficili & periculoso bello se tecum implicare. Utinam verò eos, in hac quidem causa, in consilium adhiberes: sunt enim viri magna rerum experientia & sapiètia cumulati: profectò non verba, sed tonitrua audires, quibus te permoverent, atq; absterrent, ne crabrones in caput Italiæ irritares.

Igitur in bello hoc gerendo, habiturus esses Herculem Ducem Ferrariæ, utpote tuum Vasallum: quanquam minimè volet conferre suos ingentes thesauros. sed vix mittet aliquot pedites, aut equites, quingentos aut sexcentos, nempe ut in proximo contra Protestantibus bello. Habiturus esses Guilielmum Ducem Mantuæ, quem scilicet Hercules Cardinalis Gōzaga, ejus patruus (ut est summus Lutheranorum hostis, quos tamen amare & fovere aliquando videbatur) impellet suis consiliis, quò tu volueris: & fortè minimè impellet. nam ferunt Ducem illum jam detrectare jugum tutoris, ut est vividi ingenii.

Addo etiam, te habiturum Cosmum Florentinorum Ducem, & fortè etiam Octaviū Ducem Parmensium; tametsi de hoc minimè affirmo, nam ut umbra corpus, ita perpetuò

Dux Ferrariæ

Dux Mantuæ

Dux Florentinorum

Dux Parmensium

Dux Urbini.

is sequitur Regis Gallorum vestigia. At omnes hi exiguum nescio quid conferent, si spectes magnitudinem belli, quod suscepturus esses. Solus Guido Ubalduus Dux Urbinatium, qui non modò vasallus est, sed hujus sacrosanctæ Ecclesiæ capitaneus (ut appellant) generalis, non solùm milites ex sua ditione exercitatissimos educet tibi: sed unà cum suis consiliis, omnes suas opes, quamvis non sint valde magnæ, sed quales quales sint, conferet, atq; unà vitam ipsam.

Cæsar.

Cæsaarem postremo loco, de quo verba facerem, reservavi: de eo itaq; audiat V. Sanctitas, quæ mea sit sententia. Pleriq; omnes affirmant, eum Imperii habenas commisisse Ferdinando fratri, ac mox in Hispaniam cū utraq; sorore navigaturum, nempe ut illic à rebus maximis gestis, atq; à corporis ingenii-que laboribus aliquando quiescat. Neq; desunt, qui dicant, ejus Majestatem jam esse minùs idoneam rebus magnis bene gerendis, siue corpus spectes, jam propemodum cōfectum multis ægritudinibus, siue aliud. Multi etiam putant, si maximè valeret, tamen in animum induxisse, nolle posthac contra Germaniam bellum gerere, quin neq; contendere amplius cum illa in causa religionis. Ad-
do etiam, multos existimare, eū erga T. Sanctitatem parum benevolo aut æquo animo esse.

esse. Memineris certè oportet, illum disertè
 suis edixisse, ne te pateretur Pontificem cre-
 ari, sed quemvis potius alium Gallicæ natio-
 nis, deniq; ex toto collegio. timebat scilicet,
 ne, quum sis patria Neapolitanus, atq; unus
 ex exulibus, illum ex eo regno exturbares.
 Memineris etiam oportet, quàm te initio tui
 Pontificatus contemserit per suos, tum Car-
 dinales, tum alios quos Romæ habet, cum
 magno etiam tuæ vitæ periculo. Quare fuit
 tibi etiam pro custodia vitæ parandus exer-
 citus: quia & Regi spes injicienda, fore ut eū
 tuis armis contra Cæsarem juves, ut te juvan-
 dum susciperet: ut jam pervagata esset fama
 in tota Europa, te confociasse tua arma cum
 Rege Gallorum, ut Cæsarē ejiceres ex regno
 Neapolitano. Nunc nollem tibi autor esse,
 ut Cæsari planè confideres, quamvis jactet se
 usq; ad eò obedientem filium, omniaq; sua
 officia tibi promittat. quum enim prematur
 bello Gallico, videt non esse è re sua, ut tuas
 potentissimas vires cōjungas cum hoste suo:
 quare modò injecta spe de pace, modò aliis
 artificiis, curat rem extrahi, dum tu, qui jam
 es octuagenarius, Papatum deseras. Sed fac
 omnia hæc aliter se habere: hoc est, finge Cæ-
 sarem è Germania nō discessurum, Cæsarem
 florere, Cæsarē adhuc cupere cum Principi-
 bus Germaniæ bellum gerere, Cæsarem ma-

gis esse animatum, atq; odio adversus Lutheranos incensum, quàm nunquam antea, Cæsarem deniq; tibi bene velle ex animo.

Dicet T. Sanctitas: Hæc si ita se haberent, in tuto res esset: vincerem proculdubio, etiã si illi Reges & Principes, quos commemorasti, nihil conferant: quin etiam si aliqui eorũ apertè prodirent in aciem contra nos, unus mihi Cæsar satis esset ad debellandos Rom. Ecclesiæ omnes hostes. Cupio ego quidem debellatos, si quisquam alius. Sed priusquam de victoria ac de triumpho cogites, audi reliqua: nondum enim peroravi. Scito igitur, superesse id quod omnium maximum est, nimirum ut dicam, contra quos homines bellũ gesturus sis. ex his enim quos commemorabo, nullus prorsus deerit: at deerit forsitan aliquis ex his, quos in tua parte collocavi, aut saltem non conferet quicquid poterit viriũ. Unã ergo conferent contra te omnia consilia, omnes cogitationes, opes, munitiones, machinas, pedites, equites, nervos, liberos, sanguinem & vitam, omnes illi Principes, & liberæ civitates, quas tute scis tuam obedientiam abjecisse. Hic non est opus est Catalogo: scio omnium eorum nomina esse incripta magno cum dolore in tabulis cordis tui: scio etiam te scire, eos per se esse potentes, & acerrimè & vehementissimè bellum gesturos.

*Principes protestantes.
Liberæ civitates.*

ros esse aduersum te. Sed neq; etiam hi soli futuri sunt: nam quum sint in ea natione Principes & civitates, quæ neq; omnino tibi favent, neq; valde sunt aduersæ: tamen parvo momēto huc vel illuc possunt impelli. Cum his igitur tui hostes ita egerint: *Viri fratres, adijstis parari contra nos arma in Hispania, in Italia, in Flandria. Est quidem illis prætextus religionis: ajunt se bellum gerere pro aris, & pro restituendis veteribus cultibus & ceremoniis, quas nos repudiavimus. Verum scimus, totum illum apparatus revera vestram omnium libertatem, perinde ac nostram, vestras opes, vestras domos, vestras uxores, vestros liberos petiturum, eversum, perditurum. Itaq; occurrite unà nobiscum in tempore huic tanto malo, adjungite vestras opes cum nostris. Etenim si volueritis esse spectatores tragædiæ, inter ea dum ab hoc veluti corpore totius Imperii unum aut alterum brachium abscindetur, aut unus oculus à nostris communibus hostibus eruetur: frustra postea agetis de reliquis corporis partibus defendendis, quæ statim erunt obnoxia, & facilis præda Italis atq; Hispanis.*

An non putas, Pater sancte, fore ut hac vel simili oratione multi permoverentur? An nescis, animos illorum hominum plenos esse (magis quàm unquam antea ulla memoria) suspicione & diffidentia? An ignoras nihil posse in Germania dici aut excogitari odio-

Oratio Protestantium ad Catholicos.

fius, & quod magis commoveat stomachum & bilem, quàm nomen militum Italorum, quàm nomen Hispanorum, & quàm Papæ nomen? Credant alii quod velint: ego in ea sum sententia, ut putem, aliquos illius nationis Principes & civitates (ex his dico, qui adhuc tuos ritus retinent) non modò non esse sumtuos arma pro te (ut dixi) verùm etiam contra te: aut si apertè signa contra non explicaverint, saltem subministraturos tuis hostibus ea omnia, quæ sunt futura ad bellum gerendum necessaria, commeatum, transitus, milites: tibi verò eadem negaturos. Contra hos, si adhuc essent soli, durum profectò & difficilimum bellum susciperetur. Sed audi reliqua.

*Helvetiorum
populi, Tigurum,
Berna,
Basilea,
Schaffhusii.*

Helvetiorum quatuor insignes populi (Cantones vocat) Tigurum, Berna, Basilea, Schaffhusia, cum aliquot civitatibus illis fœdere junctis, Sangallo, Geneva, atq; aliis: cõplexi sunt idem genus doctrinæ, quod Germani illi qui sunt ultra Rhenum: & te tuaq; omnia eodem odio, quo illi, prosequuntur, aut longè etiam majore. His ex animo consentiunt tria fœdera (ligas appellant) Rhætorum, qui etiam sunt Helvetiis confœderati. Nunc quæro, ubi omnes hi audierint collectum esse abs te, & mitti in Germaniam ingentem exercitum, quo invasurus sis Protestantes,

stantes, ut eos ad suscipienda Concilii decreta compellas: quid putes eos facturos? futuros spectatores fabulæ, aut quid? Certè erras toto cælo, si tibi persuadeas, eos rem tantam esse neglecturos: & non visuros, fore ut tota faba deinde cadatur in proprium ipsorum caput, nisi in tempore occurrant. Occurrent proculdubio, & cōfestim suis exercitibus paratis, atq; unà Protestantibus adjunctis, subsidio venient. At qualibus exercitibus? quis non novit, disciplinam eorum esse præstantissimam? milites fortissimos? & solos ad cō Bernates posse nullo negotio educere XXX. millia instructissimorum militum? Tigurinos XX.

Hic dixerit tua S. esse aliquot Helvetiorū pagos, qui tuam obedientiam mordicus retineant, à quibus possis suppetias & auxilia sperare. Sunt quidem ex illis aliquot pagi, qui abs tuo gremio nūquam ulla vi passi sunt divelli: quo nomine confitearis necesse est, te multum eorum observantiæ erga te debere. ac rectè profectò egisti, quòd tam amanter & liberaliter complexus es eorum Legatos, qui tibi gratulatum venerant. Curasti enim per Terracinę Episcopum, ut tuo sumtu Romanam venirent, tuo sumtu hinc alerentur, tuo sumtu in patriam redirēt cum magnis donis: præterea & debes quidem curare, ut eos tibi

*Helvetiorū
pagi catholici.*

demereas omni officiorum genere. Sed tamē hoc non impetrabis, ut velint tibi tuis exercitibus socii esse in bello hoc de quo loquimur. Rogas? quia sunt aliis pagis juncti artissimo fœdere: contra quos, nisi insigni aliqua injuria affecti, nolent, ut sunt boni viri, contra (inquam) tam charos bellum gerere, & fidem frangere. Eadem enim est ratio in his, quam dixi esse in aliquibus Principibus Imperii: nempe periculum sibi summum imminere, ne, si te atq; Cæsarem juvent in Tiguro, Berna, Basilea (quæ sunt columnæ & robora libertatis Helveticæ) opprimendis, sua sibi quoq; libertas postea posset confestim debilitari atq; eripi. Quis enim dubitat, Lucernam, Friburgum, aliosq; pagos, magis fore propriæ libertatis conservandæ studiosos, quam tuæ autoritatis restituendæ? præsertim quum ipsis accidat idem, quod de quibusdā Principibus Germaniæ catholicis dixi, qui prælenti statu Ecclesiarum suarū multis nominibus majore cum commodo, & animorū voluptate fruuntur. Est enim omnino laxior & liberior, quam is futurus esset, quem tu (si ubiq; victor evaderes) restituendum curares. Nam id opinor operam dares, ut tui canones ad unguem porrò servarentur: ut præcideres omnem occasionem, ne quis amplius clamaret contra istam sanctam Sedem.

Sed

Lucerna.
Friburgum.

Sed quid verbis opus est? consule illum, cuius modò mentionem feci, Terracinae Episcopum, qui res Helveticas tractat, an revera illi videatur fore, ut Helvetiae illa pars quae te colit, possit impelli, ut arma sumat pro te, contra suos confœderatos. Certè enim affirmabit, non sumturam; si modò verum voluerit dicere, id quod sentit. Vereor enim, ne tibi saepe imponat, magisq; suã ipsius causam agat in illa legatione, quàm tuã Sanctitatis. An non vides, ut impudenter flagret libidine Cardinalatus?

Sed audi reliqua. Non modò enim maxima pars Helvetiorum atq; Rhetorum, ad suscipienda arma contra te, si armatum in Protestantes viderent: sed unà cum illis omnes Provinciae & populi, quos nunc dicam, accederentur. In primis tota Prussia, quae Alberto ex Brandeburgensiũ familia duce atq; impulso fore, ante viginti & eo amplius annos prorsus à tuo imperio descivit, & Evangelica (ut ajunt) facta est. Tota etiam Livonia, quae idem egit jamdudum: totum regnum Daciae, atq; etiam regnum Suetiae, maxima pars Frisiae orientalis: deniq; omnes civitates maritimae, quas appellant.

At operæ precium est scire, cujusmodi sint omnes hi populi. Nosti esse Sarmatiam Europae, quam hodie Prussi, Russi, Lituani, Mo-

Dux Prussiae

Livonia.

Rex Daciae

Sarmatia

Europae.

Sed

scovitæ, & partim etiam Poloni inhabitant. Nosti in eadem Sarmatia, quæ ad Oceanum, & sinum Codanum, seu (ut Ptolomæus) à Venedis olim populis Venedicum, vergit, Livoniam: cujus longitudo est circiter quingentorum passuum millium, latitudo quadringentorum, terram frumeto, carne, melle fertilissimam: & quæ quatuor insignes portus habet, Rigt, Terpt, Revel, & Dorba, quos dixeris quatuor ceu ubera Livoniæ: nam ex magna orbis parte illuc omnia ad victum ornatumq; necessaria inferuntur: & vicissim inde frumenta, mella, pellesq; exportantur. Est illic insignis Archiepiscopus Rigensis: est magister Livoniensis: Episcopi, Revaliensis, Derbatensis, Osiliensis, Cauroniensis: qui tametsi magistratum ibi agunt, atq; omnia regunt; tamen victi ferocissimorum illorum populorum importunitate & insolentia, omnes eas doctrinas & ceremonias, quæ nobis sunt in usu, funditus extirpare, & passim admittere Lutherismum sunt coacti. Quod nisi fecissent, proculdubio fuissent ejecti, aut etiam interfecti.

Dania.
Norvegia.

Christernus,
Rex.

Daniæ verò & Norvegiæ regna, in insulis illis Septentrionalibus, & peninsula illa, quæ quidam ex veteribus ob immensam magnitudinem veluti alterum orbem appellarunt, obtinet nunc Christernus Olsatiæ Dux: qui alte-

altero illo Christerno Cæsaris Iororio ex re-
gno ejecto, atq; in exiguam quãdam insulam
relegato, in Regem electus est. Is prorsus ab-
horret à tua autoritate & doctrina, cum toto
ducatu & regno.

In eadem peninsula, Justavus regnum Sue-
tiæ & Gothorum obtinet. Quàm verò is fa-
veat tuæ sanctæ Ecclesiæ autoritati & doctri-
nis, testis tibi & toti urbi atq; Italiæ esse po-
test Olaus Magnus, quem in Archiepiscopa-
tu Upsaliensi, qui in ipsa Gothia est, Joanni
fratri, hîc Romæ in summa paupertate mor-
tuo, suffecistis. Ambo enim ab rege & popu-
lo, quibus illic opibus atq; honoribus flore-
bant, exuti atq; nudati, ejecti sunt: tantùm
ob eam causam, quia tueri & sustentare tuã
potestatem, tuasq; doctrinas, omni studio
nequicquam conabantur. Nam magno im-
petu in omnes illas civitates, oppida & pagos
pervasit morbus & furor Lutheranorum ho-
minum.

At nosti, quĩnam sint populi illi? Sunt illi
ipsi, qui circiter annum urbis Romæ millesi-
mum centesimum sexagesimum quartum,
primùm duce Alarico, deinde iterum post cẽ-
tum circiter annos duce Genserico, in Italiã,
etiam non provocati, nec ulla religionis (quę
tantam vim habeat in animis hominum)
caussa laceßiti, inundarunt, & urbem hanc

IUSTAVUS VIX.

diripuerunt, incenderuntq; quorum barbaro furori acceptas ferimus infinitas calamitates & strages, quæ studia, quæ linguam, quæ mores invaserunt & corruperunt. Non modò enim incendio absumpserunt arces, templa, palatia: sed in ipsa monumenta & saxa ferro sævierunt, & corruperunt, ut multis in locis videre est, invidia & rabie plusquam barbara. Atq; hi ita sunt feri natura, ut non modò in Italiam ex Insulis & Septentrionibus illis maximos exercitus & fœdissimam quandam barbarorum hominũ colluviem intulisse legamus: sed in reliquas provincias & regna, in Galliam & Britanniam, atq; ad eò in ipsas Hispanias, atq; etiam Africam, quæ tam longo intervallo distant ab eis, irruerint. Certe metuendi sunt populi illi, veluti crabrones quidam, quos nec tantillum oportet irritare: atq; utinam, etiam si non irritentur, maneant in suis Insulis, nec aliorum quietem turbent.

Hoc itaq; saxum & ferreum genus hominum, contra te, unà cum tam multis aliis quos dixi, magno cum furore irrueret. Dii meliora. In summa, si bellum hoc susceperis, multo majorem materiem & molem in tota Europa, ac majus incendium commovebis atq; accendes, quàm unquam existimares.

Inter cætera verò, hæc quoq; incommoda
tibi

tibi forent subeunda & devoranda. Nam educendi essent tui exercitus procul ab ipsa Italia, superatis Alpibus, multorum dierum itinere: invadendi hostes domi, ubi ipsi facile habebunt omnia quæ ad bella sustinenda solent esse necessaria, tu vicissim difficilime. Quanta verò difficultatis sit, educere magnū aliquem exercitum in remotas provincias, atq; trans Alpes: atq; hostes alioquin belligerendi peritos & fortes, qui tempus habuerint parandi ea quæ ad defensionem sunt necessaria, domi suæ adoriri, quis est qui non intelligat? Q. Fabius Max. quum ab Aphrico bello Senatum vellet dehortari, inquit de Africa: *Vbi non portus ullus classi nostræ apertus, non ager pacatus, non civitas sociæ, non Rex amicus, non consistendi usquam locus, non procedendi: quacunq; inspexeris, hostilia arma, atq; infestæ.* Eadem ferè omnia possumus nunc de tuis exercitibus dicere, si Germaniam velint aggredi, præsertim in hac caussa. Adhæc, gerendum esset bellum in ea provincia, in qua vix quatuor menses Itali atq; Hispani possent sub dio militare. Hyeme verò (quæ illic tam diuturna & tam sæva esse solet) revocandi essent in hyberna, ad urbes & oppida: ne si secus fieret, idem illis accideret, quod ante paucos annos accidisse scimus Cæsaris exercitui, quæ ad obsidionem Metensem admoverat, & to-

tâ hyeme compellebat illic hæerere sub dio :
 quasi qui vellet vim inferre cælo ipsi, & tem-
 pori anni. Itaq; vix centesimus quisq; evasit,
 qui frigore non perierit, præsertim ex Italis

Quare hoc bellum futurum esset diutur-
 num proculdubio, & valde difficile, & peri-
 culosum. Neq; enim jam de aris, & de religi-
 one solùm esset dimicandum : sed de summa
 rerum, de libertate, & de Imperio, & de tuo
 ipso Imperio. Vide quid porrò dicam: quod
 si audieris, planè ostendam, & eo ipso die, quo
 statueris Concilium esse instaurandum (un-
 de consequitur hujusce teterrimi belligerè-
 di necessitas) aleam arrepturum esse, eamq;ue
 jaciturum pro toto adeò Ecclesiastico impe-
 rio, & pro Italiæ, ac ferè totius Europæ salute.
 Sed priusquam hæc dicam, alia quædam at-
 tingam necesse est. Jam potes ex his, quæ ha-
 tenus dixi, estimare, quàm immanes sumtus
 forent tibi faciendi. At ærarium Rom. Ec-
 clesiæ exhaustum esse scimus omnes: tanta
 fuit Pauli ac Julii III. frugalitas & parsimo-
 monia, tum in suis ditandis atq; ornandis
 modestia (scilicet.) ipsi mediusfidius the-
 sauri Sultani Solimani (liceat modò id quod
 res est dicere) explendæ illorum libidini nõ
 fecissent satis. Tu verò cum pro tua animi
 magnitudine & liberalitate, hoc primo tui
 Pontificatus anno immensos sumtus susti-
 nueris,

Paulus VII.
Julius III.

nueris, omnino nihil potuisti in ærarium re-
 digere. Ergo ubicunq; & undecunq; posses
 cum tuis ministris, qui omnes vias pecuniæ
 norunt, magna diligentia & severitate colli-
 gendæ, corradendæ, imperandæ essent pecu-
 niæ, quæ sunt (ut scis) bellorum nervi. Nam
 quemadmodum sine nervis corpus nequit
 consistere: ita neq; ipsi exercitus sine maxi-
 ma auri & argenti vi: sed dilabuntur. Quare
 primùm essent augenda precia salis in omni-
 bus tuis urbibus, sine ulla exceptione: quam
 rationem majores tui mineram quãdam auri
 appellare consueverunt. At quia inde non
 tantum adhuc posses colligere, quantum o-
 pus est: imperanda essent adhuc alia tributa,
 quæ taleas appellamus: deinde oppigneran-
 da aliquot vectigalia. Atq; ut etiam clerus i-
 pse ferret suam oneris partem (ut par est) o-
 mnibus Rom. Curia Officialibus, quos vo-
 cant, & omnibus non modò clericis aut pres-
 byteris, sed etiam monachis & monasteriis,
 tum virorum, tum mulierum, imperandæ ef-
 sent quinq; aut sex decimæ, aut medii fructus:
 ut fieri solet, si quando agitur de bello Tur-
 cis inferendo. Ac non modò ab his presby-
 teris & monachis, qui sub tuo temporali (ut
 solemus dicere) dominio degunt, decimæ i-
 psæ aut medii fructus imperandi essent: sed
 ab illis etiam, qui suis sacerdotiis & opibus

H

fruuntur ex ditione Cæsaris, ex ditione Gallorum regis, ex ditione Venetæ reipub. & Ducis Ferrariensium, atq; aliorum Principū. His enim rationibus pecuniæ conficiendæ, majores tui omnibus usi sunt. Quin & indulgentias per totum Christianum orbem aliquando evulgarunt, præcio redimendas. Deniq; etiam cruciatas (quas appellant) indixerunt: atq; ita tantū auri colligebant, quantum ad res magnas obeundas sufficere posse videretur. At operæ præcium est videre, possisne tu hoc tempore omnia hæc efficere, aus etiam tentare.

Pre oia salis.

Principiò, quod ad præcia salis augenda, & ad alia tributa attinet, ubi ad tuas civitates, oppida & pagos fuerit delatum, tantum pecuniæ ab illis esse emungendum, & jam adventare ad se viderint quæstores, subquæstores, lictoresq; , qui eos incipiant exactionib⁹ divexare: Dii immortales, quàm acerbo & capitali odio te prosequentur: quales voces, fremitus, ejulatus, querelæ passim exaudientur! Certè is actus Comœdiæ (aut potius tragœdiæ) tantum molestiarum habebit, tantumq; sollicitudinis erit in eo devorandum: quantum nulla unquam totius reliquæ vitæ tranquillitas, fœlicitas, lætitia & dulcedo possit cõdire, & mitigare. Deinde quis scit, num fortè graves aliqui tumultus inde sint exorturi?

rari? Quis scit, num fortè tui subditi restituri
 & negaturi sint, & ad arma etiam vèturi? Me-
 mineris oportet, quæstorem cui nomen erat
 Cavino, quemq; Clemens septimus Parmam
 miserat, qui imperatam pecuniam exigeret,
 in medio aded templo fuisse, in populi sedi-
 tione, eam ob causam trucidatum. Deinde
 Perusinos eos, quibus Paulus III. præcium sa-
 lis auxerat, tametsi fuerint soli, ausos fuisse
 non modò negare, sed armis etiam diu resi-
 stere exercitui, qui adversus eos fuerat ab i-
 plo Pontifice missus: unde consecuta est ob-
 sessio, & mox oppugnatio, direptio, & vasta-
 tio urbis, aliaq; plurima mala. Hæc recentis-
 sima exempla, si unquam fuerunt aliàs, nunc
 profectò sunt potissimùm metuenda: & o-
 mne genus cautionis abs te adhibendum, ne
 contingat, ut cum tuis subditis & filiis (sunt
 enim filii tui, & tu illis vicissim pater) bellum
 geras, & tuorum subditorum & filiorum lan-
 guinem effundas: interea dum cupis adver-
 sus eos, qui sunt verè hostes, exercitus ador-
 nare.

*Carvinus**quæstor.**Clemens VII.**Parmæ**Perusini.*

Puto te scire, in omnibus tuis urbibus nō-
 nullos esse, qui Lutherano veneno (proh do-
 lor) infecti sunt: neq; hoc ex infima tantùm
 face populi, sed ex mediis etiam & summis
 viris. Itaq; hi futuri essent totius seditionis &
 tumultus autores, suatores, & architecti. Vi-

Oratio Lu-
theranorum.

de ore eos audire evomentes ferè tales voces, venenaq; : *Papa voluit celebrare Concilium, longè aliis conditionibus quàm Comitia Imperii statuerint, aut quàm ipse Papa & totum Concilium promiserit : neq; unquam voluit audire adversarios, ne semel quidem, sed prorsus inauditòs condemnare. Deinde Episcopi iidem, qui sunt pars, & rei accusati, voluerunt esse, contra omnia divina & humana jura, iudices in causa sua : nec pudet eos nunc mittere exercitus, collectos è pauperum miseris & sanguine, qui bonos illos Christianos cum liberis atq; uxoribus crudelissimè trucident, non aliam ob causam, nisi quia illi tam injusto Concilio recusant parère, & aliud quod legitimum sit expetunt. Nos certè, ò cives, juvare hunc Papæ conatum nullo modo debemus, nò, si moriendum etiam sit. Pecuniámne nostram ad tantum facinus perpetrandum conferemus? quin istos quæstores & nebulones hinc exigimus in malam rem: & Papæ nunciamus, nos aliis in rebus illi non defuturos: in hac nec posse, nec debere obsequi, duntaxat salva conscientia.*

Quòd si ille perstiterit in sententia, audierimusq; eum hoc nomine parare exercitum contra nos, quid superest, nisi ut tandem omnes simul bona fide uniti & confœderati resistamus : curemusq; accersendos vel Turcas, vel Protestantes ipsos, qui nos defendant atq; eripiant?

Boni consule, Pater sancte, si nunc ea dicendi forma seditiosa & venenata utor, qua

Luthe-

Lutherani solent. Sic enim oportuit, ut ea magna pericula, de quibus institui dicere, atque unà fontes, unde ea derivant, tibi ante oculos ponerem. Quanquam vix mihi videor affecutus umbram ejus acerbitatis & veneni, quod illi solent, si quando contingat eos in tali occasione orationē habere, profundere.

Quod verò ad medios fructus, vel ad tam multas decimas à toto clero exposcendas at-
tinet: eadem est hīc ratio, quæ fuit de tribu-
tis, & de precio salis augendo. Nam à Cardi-
nalibus quidem hætenus moris non fuit, ut
vel tantillum exigeretur: sed tantum ab Epi-
scopis, atq; aliis inferioris ordinis, & ab omni-
bus monachis, atq; adeò ab illis ipsis qui vo-
cantur Mendicantes, cū affluant divitiis.
Sed incredibile dictu est, quàm periculosa
sint hoc tempore horum omnium ingenia:
Episcoporum dico, presbyterorum, & mo-
nachorum omnium: qui si tantillum incom-
modi, aut detrimenti abs te, vel à tuis mini-
stris acceperint, confestim cogitant de Lu-
therano veneno hīc & illic evomendo, & de
ulciscendo. id quod illis facile factu est, mo-
dò velint, tum pro concionibus obiter atque
aliud agentes, si quando inquisitores timent:
tum in privatis sermonib⁹ & colloquiis: præ-
sertim verò quum audiunt confessiones. Ita-
que si isti nunc sentirent se multarum deci-

*Medii fru-
ctus.
Decima.*

*Monachi
Italia.*

marum exactiōibus extimulari, profectō
(ut sunt turbulenti & seditiosi) possent tibi
malas tragœdias excitare: atq; hoc ab gene-
re longè majus periculum ego metuerem,
quàm à Laicis. Sed quid si utrorumq; ira &
rabies conspiraret adversus te? quumq; illi
tributa & majora precia salis, hi verò decimas
negare constituissent, unà negotium tibi fa-
cesserēt? In summa, cum utrisq; magna qua-
dam moderatione & lenitate utendum cen-
serem, quod tamen si faceres, non posses tan-
tum auri extorquere, quantum ad instruen-
dum exercitum satis esset. Neq; enim exigua,
aut mediocri vi, sed magna & potenti opus
est, ad evellendum aurum. Vide in quas an-
gustias incideres. nam plurimum emunge-
re, omnino periculosa res esset, & multæ cau-
tionis, ne tibi aliud genus crabronum irrites:
parum verò, quod illi haud inviti contule-
rint, magnis rebus agendis haud suffecerit.
Quantò igitur satius fuerit, Pater sancte, ca-
rere his sollicitudinibus, periculisq; & jube-
re, ut procul faceffant ad Antipodes usq;, &
Concilia, & talia bella, quæ sunt Conciliorū
fructus?

Verùm hoc audi: demus, hoc posse ali-
quo modo fieri, ut facilè & tutò ab ea parte
cleri, quæ in tuis urbibus degit, tot decimas
exigas, quot velis: certè ab ea quæ alibi vivit,

& in

& in ditione reliquorum Principum sacerdotia & redditus habent, nihil posses exigere. Rogas? Quia omnes illi potentatus, qui habent suas causas, quamobrem nolint tibi in bello adversus Germaniam gerendo socii & adjuutores esse, omnino resisterent, ne ulla pecunia eo nomine in suis civitatibus imperaretur atq; exigetur: ne in suspicionem aliquando venirent, saltem collata pecunia bellum illud contra Germaniam juvare voluisse.

Quid, inquires de Cæsare, an non pateretur *Cæsar.* colligi à me pecuniam ex decimis eorum sacerdotiorum & monasteriorum, quæ sunt in Sicilia, in regno Neapolitano, in ducatu Mediolanensi, in Hispania & Flandria? Non puoto. quandoquidem si exercitum atq; auctoritatem suam conferret, satis sibi contulisse videretur: quin peteret (ut aliquando solet) abs te, ut sibi liceret pecuniam ex decimis illis colligere, qua eum exercitum aleret, qui comparatus esset pro tuæ Ecclesiæ dignitate restituenda atq; amplificanda. Nam tali proculdubio, & non alia è suis thesauris de prompta pecunia, ille te juvandum ornandumque susciperet. An non nosti morem? non nosti quid fuerit actum in proximo contra Protestantibus bello?

Quod ad indulgentias pertinet, unus atq; *Indulgentias*

alter ex Pontificibus qui nuper ante te fuit, cœpit eas gratis dare: itaq; frustra, ac forsitan cum risu omnium, certè nullo cum fructu nunc institueres eos commissarios, quos instituere & mittere per totum Christianum orbem hæc Sedes cum suis indulgentiis olim solebat. Lutherana hæresis multa nobis ornamenta & commoda concussit & labefactavit: hoc verò quod ex indulgentiis capiebamus, prorsus disjecit, & sustulit.

Cruciatas

Deniq; quod attinet ad cruciatam (ut appellant) majores tui, cum de Christi sepulchro è manibus Turcarum eripiendo ageretur, eam indicere consueverunt: nec memini legere, ullum unquam Põtificem extitisse, qui eam adversus alios quàm ipsos Turcas indixerit, præter Eugenium IV. qui aliquando contra Bœmos, utpote schismaticos, sed infaustè atq; infœliciter eam indixit. nam in bello periere ferè omnes illi cruce signati: schismatici verò victores evaserunt. Nunc tibi nollem autor esse, ut illum imitareris: neque ut de colligenda eo nomine pecunia cogitares. Parum enim proficeres (ita sunt tempora mutata, & infœlicia) immò magnas turbas moveres. Superest, ut vectigalia, aut aliquot ex tuis urbibus oppigneret, aut etiam vendas. hoc sanè multo facilius, & minore cum periculo facere posses, quàm ex sale, ex tribu-

*Eugenius IV.
Boemi.*

*Vectigalia.
Venditio urbium.*

tributis, ex decimis, ex indulgentiis, atq; ex
 cruciata pecuniam colligere: imò illic nullū
 periculum, nisi quòd fortè non tam facilè
 invenias emptores, qui ea ingentia precia,
 quibus opus est, numerarent. Nam pauci ad-
 modum apparent, qui tantum pecuniæ in ar-
 cam potuerint reponere. Deinde timendum
 sibi putarent, ne totam eam summam lude-
 rent (audi quid dicam) si susceptum abs te
 bellum infœliciter eveniret, propter eas, quas
 paulo pòst dicam, causas.

Sed vide, quàm sim liberalis hodie. largiar
 enim omnia hæc tibi, nimirum ut ab omnib.
 tuis civitatibus, & toto tuo clero, ubicunq; is
 sit, possis tantum pecuniæ colligere, quantū
 imperes, & quantum ad tantum bellum su-
 stinendum sit necessarium. Sanè scio, me hîc
 tibi rem maximam concedere: aut quænam
 potest esse major, cedó? An non pecuniarum
 contributio semper apex rerum omnium ha-
 bita est, & nunc habetur in primis? quando-
 quidem magis exulcerata sunt tempora: &
 multo plura nescio quo modo videntur esse,
 quæ contributionem & exactionem illam
 morantur & impediunt, quàm unquam an-
 tea. Largior itaq; rem (ut dixi) maximam:
 sed audi adhuc reliqua.

Jam collecti, jam instructi erunt tui exer-
 citus, jam Tridentum versus incedent &

Tridentum.

*Alpes Rætica.**Ducatus
Mediolanen-
sis.**Angelus Ri-
tius, orator
Cæsaris.**Ioannes Fra-
xinæus orator
regis Gallo-
rum.**Rex Gallorū.*

progredientur. Nulla enim alia est via, qua possint Germaniam atque hostes invadere. Nam per Ræticas Alpes haud licebit, resistētibus Rætis: qui tuam obedientiam maxima ex parte deseruerunt, & Helvetiorum atque Protestantium facti sunt socii. Quòd si per Alpes illas licuisset transire saltem Cæsaris copiis, quæ ex Hispania & Italia (maximè verò quæ ex ducatu Mediolanensi) educendæ sint, maxima commoditas contigisset. Nam primùm Bellizonam profecti, mox per vallē Misautiorum, superatisq; Alpibus quæ vocantur sancti Bernhardini, in vallem Rheni descendissent, atq; per eam ad lacum Brigantinum, Lindaviumq; pervenissent. Quod quidem iter triplo aut amplius brevius est, quàm quod per Tridentum patet. Hoc tantum commodum nuper animadvertit Cæsar: & misso legato Angelo Ritio, tentavit omnibus modis, etiam magna promissa pecunia, si id posset à Rætis obtinere. at non potuit: restitit enim vehementer D. Joh. Fraxinæus Episcopus Bajonæ, regis Galliarū legatus, vir solers & acer. Atq; hinc etiam vide mihi quæso, num ille Rex pati unquam posset, Germaniæ libertatem eripi, aut debilitari. Cùm enim de trajiciendis ex Italia in Germaniam exercitibus per Alpes Ræticas audiret agi, ipse sua autoritate, qua apud Rætis

tos plurimum valet, suisq; opibus intercessit, atq; effecit id ne liceret, quasi patronus optimus ipsius Germaniæ, cujus maximè intererat: & quam alioqui oportebat missis Legatis cum Rætis agere, & enixè rogare, ne ullum Italorum aut Hispanorum exercitum sinerēt per eam regionem in Germaniam educi.

Sed ad rem. Tuæ copiæ ductu Guidiubaldi Urbini ducis, aut fortè Reverendissimi D. Caroli Caraphæ Card. nepotis tui ex fratre, qui totam vitam degit inter arma, per Tridēnas fauces ingressæ, jam de adoriendis hostibus cogitabunt. Quid verò, si interea Furcarum tyrannus, qui omnia diligēter explorat atq; observat, quæ apud Reges & Principes Christianos indies fiunt: quid, inquam, si interea dum tuos paras, ipse suos adornet exercitus, illos ingentes, quales post Xerxem paucissimi reges eduxerunt: atq; eos tibi forsitan in ipsa Germania objiciat? aut in Pannonia & Transylvania, quam nunc adoriri parat, quiescat tacitus, veluti spectator fabulæ: & quū videbit Christianos manum conseruisse, multum sanguinis esse effulum, & debilitatam esse vehementer alteram ex partibus, aut fortè utranq;, ita ut fit in bello (sepe enim cruentæ sunt victoriæ) ibi occasionem ille dudum speratam & expectatam arripiat, & magno impetu reliquias Christianorum in-

Tunc

*Apologus de
rana & mu-
re.*

vadat? Unde id sanè contingeret, quod est in Apologo. Pugnantis enim inter se rana & mure de paludis imperio, milvum ajunt, qui de improvviso affuerit, utrunq; sustulisse & devorasse. Dii omen avertant: at facile quidem hoc factu est, maxima enim est illius tyranni potentia. An non audis, Ferdinandum quotidie pacem, aut inducias ab eo petere, & de cedenda Transylvania cogitare, quia non sperat posse illum sustinere? Ideo prudentes viri, qualis tu es, diligentissimè debent cavere, ne totum Christianum orbem tam atroci periculo committant. Immò conveniret exhorrescere atq; contremiscere, ad solam adeò cogitationem tantorum malorum; & quidvis potius pati, quàm permittere ut res eò deducatur, unde, quæ dixi, sint timenda. Quis putasset unquam, celebrationem Concilii talia pericula habere conjuncta? At res ita est, habet omnino instauratio illa Concilii, de qua cogitas, omnia hæc conjuncta mala & pericula, quibus vides nullum posse atrocius cogitari. Quid etiam, si Turca ipse, interea dum te videret exhaustum auro & militia, quam tam procul in Germaniam usq; missis, mitteret suas illas incomparabiles classes, quæ Tyrrheno mari occupato, & Tyberina ostia ingressæ, ipsum te in Vaticano hoc colle adorirentur: aut etiam Adriaticum sinum ingressæ,

*Mare Tyr-
rhenum.*

*Mare Adria-
ticum.*

ingressæ, tota illa ora, quæ est ab Arimino usque ad Anconam, militibus expositis occupata, mox reliquas tuas urbes, quæ sunt in continenti, ferro & igne devastarent?

Hic quæret à me tua Sanctitas, num fortè ego suspicer fore, ut Lutherani ipsi sint Turcas evocaturi contra te? nescio num hoc essent facturi. Tamen scio, cum Paulus III. ante paucos annos literas gravissimas (Breve appellamus) ad Cæsarem, & Rom. regem dedisset, in quibus erat scriptum, illos consultivus esse facturos, si, bello contra Turcas omisso, bellum adornarent contra Lutheranos, quippe qui essent Turcis ipsis longè perniciosiores & deteriores: cumq; hoc breve fuisset per Germaniam divulgatum, scio extitisse viros doctos, qui contra scripserint, atque affirmarint tolerabilius esse (liceat tua pace narrare, quando ita exposcit necessitas rei, de qua ago, quod Lutherani sentiunt, à quibus scis me toto cælo dissentire) tolerabilius inquam esse, si quis sub tyrannide Sultani Solimani degat, quàm sub Pontifice Rom. Quare cum ita sentire editis libris profiteantur, crediderim ego quidem, si se videant opprimi, neq; ullam alibi esse spem conservandæ libertatis liberorum, uxorum & vitæ, eos & de Turca, & si quid est deterius Turca, cogituros; dicturosq; quod ille apud Poëtam,

Paulus III.

*Lutherani
deteriores
Turcis.*

Flectere si nequeam superos, Acheronta movebo.

Sed dixi paulo antè, me hodie esse futurum valde liberalem; atq; ita erit, nam hoc etiam volo largiri. Turcam domi mansurum cum suis classibus, suisq; terrestribus exercitibus: neq; cogitaturum unquam de Germania, neq; de Italia aut Roma invadenda. Demus, non cogitaturum, nec venturum; demus, ut per illum tibi bellum gerere, quantum volueris, liceat: atq; ita contra solos eos, quos initio commemoravi, sit tibi dimicandum. hinc itaque meminisse oportet, unam adeo civitatem Madenburgum, cum ab omnibus Principibus & civitatibus Imperii fuisset derelicta, eiq; cum magna parte potentiae Caesarianae, atq; aliorum Principum, in primis vero Mauritii Saxonum Ducis atq; Electoris, viri bellica virtute praestantissimi, esset pugnandum: tamen potuisse sustinere pondus tam magni belli, atq; obsidionem universum annum: nec se dedisse hosti, sed hunc ultrò pacem cum illa optimis conditionibus fecisse. Quid ergo futurum? quum tibi diutius erunt sumtus & pericula bellorum sustinenda & devoranda: si dimicandum tibi fuerit cum tam multis Principibus, tam multis civitatibus, tam multis populis, qui erunt conglutinati & unanimes? Qui sunt bellicosissimi & fortissimi: qui

Madeburgū,

*Mauritius
dux Saxonū,*

qui pro libertate, & simul pro religione pugnaturi sunt: quæ duo vincula magis stringere, quàm unum, quis non videt?

Primus ille Cæsar Julius, admirabili & singulari virtute & fœlicitate vir, diu multumque laboravit, antequam illi nationi potuisset jugum, nec ita valde diuturnum, imponere: & tamen eo tempore Germania longissimo intervallo non erat ita exercitata, aut repleta viris fortibus, & belligerendi peritis, quemadmodum nunc est: nec habebat eum stimulum religionis, quæ illam ad majorem constantiam & fortitudinem impelleret, quæ nunc habet. Cumq; hæc non essent, quæ nunc maxima sunt: tamen ille inquam ipse Cæsar, instructissimus legionibus illis Rom. quibus nihil unquam auditum est fortius, durissimos & diuturnos labores pertulit, antequam bellum conficeret: sed tale bellum, quod non multo post instaurari à Romanis necesse fuit. Neque enim omnino subegerat & vicerat: imò ad Albim usq; solum, & Neccarum, tum Romanorum victoria processerat.

Dices: sperandum esse, ut hostes, ubi viderint exercitus tuos tam instructos, eosque appropinquare ad suum interitum, præsertim cum illis pecunia ad sustinendum bellum defuerit, trepidaturi sint: atq; ita metu concussi, disjuncti atq; dilapsi, supplices petaturi sint, ut sanctæ Rom. sedi reconcilientur.

*Julius Cæsar**Germania**Romani*

Quid si hoc minimè gentium? immò cōstantissimè sint pugnaturi? Quæro an sit sapientis Principis, suscipere maximum bellū gerendum ea spe, quòd hostes pugnam detrectaturi sint? Hoc profectò non decet: quin potiùs ita se comparare oportet, ac si omnino sæpius sint manus conferendæ. Accidit quidem aliquando, ut diffluant hostes, si quando multi Principes, multæq; civitates unà fœdus ineunt, & bellum gerunt. Sed sæpe etiam uniti persistunt, & dimicant: & credo ego quidem fore, ut hostes illi, etiam si sint ex tam multis capitibus collecti, tamen sint constanter pugnaturi: quia habent maximas causas, nempe libertatis & religionis, quæ illos confociant, & arctissimis fœderibus jungunt.

Rex Gallorū.

Quod ad pecuniam, quam tu putas illis defuturam, attinet: primùm id scito, multo minore summa opus esse his qui domi, & pro libertate, & pro aris pugnant (hi enim solent propriis stipendiis merere, & multa domi habent in promptu) quàm illis qui ex Italia, vel ex Hispania abeunt militatum, in remotissimas regiones. Deinde ne excidat id quod hodie affirmavi, regem Galliarum, nūquam esse permissurum, nunquam omnino, ut Germania opprimatur, aut nimiùm debilitetur: nullus mortalium hoc ab eo (mihi crede) impe-

impetrabit. Itaq; tu ipse nosti, quantam vim coronatorum ille possit, si voluerit (volet autem proculdubio, aut clanculum, aut aperte) ad sustentandam illam nationem conferre. Quare non est quod speres, pecuniam tuis hostibus defuturam.

Quapropter si belli exitus, quod habiturum esset majores nervos, quam tu putares, aliquandiu protraheretur (neq; enim fieri aliter potest: ea enim expeditio non erit paucorum mensium, sed aliquot annorum) si, inquam, differretur, atq; interea Carolus V. diem suum obiret, ut homo, idq; senex, & morbis confectus: quo tandem in statu res tuæ futuræ essent, beatissime Pater? Hoc certum est, Cæsaris fœlicitatem & potentiam futurum tuum veluti fundamētum, super quo esset ædificandum: si modò erunt tibi bella gerenda. avulso verò eo fundamento, omnē eam molem, quam suprà extruxisses, ruere necesse esset: & profectò corruerent omnia. scis enim, ut fulmina summos montes, ita invidiam summam hominum gloriam solere ferire: & propterea in Cæsarem ipsum ardere multorum invidiam, cum magno odio conjunctam. Sed cùm multi eo vivente dissimulent, neq; audeant se aperire: protinus eo mortuo aperirent se, patefacereqtq;. Itaque sunt qui putent, post Cæsaris mortem conse-

Carolus V.

quuturos esse magnos tumultus, magnasque rerum commutationes. Certè tui milites, præfertim Itali, qui tunc essent in Germania, in primis autem tuus ex fratre nepos, tuusque Urbini Dux, summo in discrimine versarentur, ita ut forsitan vix unus posset evadere, nã (ut dixi) corruente fundamento, omnes involverentur, & opprimerentur eodem casu atq; ruina : ex qua non eriperentur ab his, quos ante Cæsaris mortem amicos experiebantur.

Quid etiam, si tua Sanctitas, quæ jam excessit octuagesimum annum (quæso Deum, ut tibi Nestoreos annos tribuat : aut saltem, ut videas illos annos Petri, quos pauci Pontifices vident) sed cum mortalis sis, & senex, quid si fervente bello à nobis abstraheris? Proh, qua sollicitudine, & veluti desperatione hinc discederes, quum videres te omnia deserere in ancipiti statu, neq; potuisse gustare fructum, suavitatem & lætitiã victoriæ? & tamen devorasses veluti radices, & apparatus belli tam amarum, & tam plenum gravissimarum molestiarum. Heu quanto in luctu & mœrore, quàm funesta in confusione rerum suarum omnium victuri essent superstites, & quàm delusi ab ipsa fortuna, quæ te impulisset ad tam fœdum bellum gerendum, ut illud aurum in Germania atq; inter hæreticos

ricos consumeres, quo ipsi fuissent ditandi atq; ornandi, cum omni eorum posteritate?

Sed quādoquidem professus sum, me hodie liberalem esse futurum, pergam in meo instituto: immò dissolutiore liberalitate nūc utar, quā hactenus fecerim, & planè prodigus sum futurus. Scis enim eos prodigos appellari, qui profusè largiuntur, non modò sua, sed aliena, quæ donare nullo modo deberent. Itaq; donavi, fore ut potueris tantum pecuniæ colligere, quantum tibi ad rem tantam aggrediendam opus sit. Donavi, fore ut Turcarum tyrannus te non impediat. Nunc verò alia quædam dono, valde quidem magna: primùm, ut Cæsar, quandiu bellum duraverit, sit victurus. Deinde, ut tua vita sit suffectura usq; ad exitum belli: postremò (quod pluris est quā omnia) ut brevi & summa cum scelicitate & gloria, possis victoriam reportare, omnibus Ecclesiæ Rom. hostibus debellatis, & sub juga missis, restituta, in tota Germania, tua pristina potestate & obedientia, & omnibus veteribus & catholicis cultibus, doctrinisq;: & in crucem adactis, aut in ignem coniectis, omnibus illis concionatoribus, & seditionū hæresumq; autoribus: Ita in summa, ut de illis tanta cum laude & gloria triumphares, quanta ante te mortalium nemo.

An non placeo tibi mea hac tanta liberalitate & donis? & tam læto vaticinio, & evangelio? Sanè animadverti, te ad mentionem victoriæ & triumphi, magna dedisse signa hilaritatis & lætitiæ. Sed audi inquam reliqua, Pater sancte. Demus, te vicisse: at duo hæc consequentur. Alterum, quòd parum diuturna foret sedi isti Rom. ea victoria & fœlicitas: nam postquam tuos exercitus in Italiã retraxisses, illi iidem Principes, iidem illi populi victi, protinus novas res molirentur: atque rursus eiectionis sacerdotibus & monachis, omnibusq; tuis ritibus, novos concionatores instituerent, suoq; viverent modo. Nam hoc scire in tota hac caussa, ubi de Germania & religione agitur, operæ precium est: omnes eos, qui sunt nati post quadraginta, aut etiam quinquaginta annos, ut nunquam agnoverunt istius Sanctæ Sedis doctrinas & obedientiam, ita neq; eas amare, quin odio habere plus quàm dici possit: & usque adeò, ut minimè sperandum sit fore, ut ulla ratione nobiscum unquam consentiant. Hoc verò odium incredibiliter augetur ex memoria belli contra eos suscepti, confectiq; in quo hic patrem, ille filium, alius fratrem amisisset. extarent etiam monimenta crudelitatis, qua sæpe milites, præsertim victores, uti solent: exustiones ædium, & sæpe integrorum pagorũ, &

Lutherani.

& direptiones, & consimilia. In summa, tam immanibus & infinitis sumptibus, tantisque sollicitudinibus & periculis, sanè exiguum & breve commodum Rom. Ecclesiæ parares, excisa enim esset arbor, non avulsa. Sed alterum quod ex victoria consequeretur, multo majoris ponderis est: audi hoc, audi, & condita mente teneto: ad quod etiam diligentissime accuratissimeq; respice, quotiescunq; de instaurando Concilio, & de bello gerendo volueris deliberare. Talis victoria, quæ primo aspectu tam jucunda & suavis, tamq; utilis, tam salutaris & gloriosa videtur futura tuo Pontificatui & toti Rom. Ecclesiæ (arri-ge aures beatissime Pater; nam exploratè loquor, & scio merem maximam nunc esse dicturum) haud multo post fieret omnino amara, & damnosa, magnamq; nobis infamiam afferret: & mallet ego quidem præsentè Rom. Ecclesiæ statum, tametsi non desunt sollicitudines & pericula multa à Lutheranis, qui quotidie aliquid atterunt: quàm cum statum, in quo post adeptam victoriam futuri essemus. Nondum assequeris, quid hoc sit quod innuo? At summo digito indicabo. Romani Pontifices, cum eorum catholica Ecclesia, tunc fuere minùs potentes, & minore in precio apud omnes Christianæ religionis Reges & Principes: quin eorum dignitas ex-

*Cæsarum po-
tentia,*

*Ecclesia Ro-
mana.*

istimatioque tunc magis fuit oppressa, cum Cæsares summam potentiam & existimationem essent aliquando consecuti. Jam animadverto te rem vidisse, & assecutum esse. At nihilominus pergo adhuc pauca de re maxima dicere: & vicissim Romani Pontifices, cum eorum catholica Ecclesia floruerunt, summoque in honore & precio habiti sunt, & crevit eorum autoritas & majestas, cum Cæsares minore in existimatione & potentia fuerunt. Itaque majores tui, qui hoc pulcherrimum Ecclesiasticum imperium ad te transmiserunt, huc perpetuò magna prudentia spectarunt, ut, quantum possent, Cæsarum crescentem potentiam reprimerent, & debilitarent: & interim diligentissimè curarunt, ut aliorum Regum & Principum animos omnibus modis demerent, sibiq; devincerent, quos Cæsaribus (si quando opus esset) objicerent.

Carolus V.

An putas (dicet tua S.) fore, ut Carolus V. fœlicitate ejus victoriæ deinceps esset usus ad proprium commodum rerum suarum? Hoc ego non possum affirmare. at multi Reges & Potentatus ita suspicantur, ut solent esse regna atq; principatus omnes pleni zelotypiâ. Hæc verò, hæc retinet, & perterrefacit eos Principes, de quibus dixi, ne capiant talia arma, quæ aliquo modo extinguere, aut etiã debi-

*Zelotypia
Principum.*

debilitare Germaniæ libertatē possent. Hoc verò nemo est qui non videat, quòd tuis exercitibus, tuaq; victoria parares Carolo V. multo majorem gloriam & existimationem, quàm hactenus tam multis expeditionibus fœliciter gestis fuisset unquam consecutus.

Quamobrem fortè non posses deinceps non parère ejus voluntati, quicquid vellet petere abs te, & impetrare. Nunc verò, adhuc tibi licet uti tuo arbitrio.

Quid igitur superest ut deliberes, nisi hanc futuram esse valde malam expeditionem, si post tam multas difficultates & pericula superata, post adeptam victoriã adhuc res tuæ, & totius sanctæ Ecclesiæ Rom. deteriore loco futuræ essent, quàm nunc sunt?

Verùm ego usus sum hodie liberalitate & prodigalitate prorsus de alieno: certè donavi tibi res incertissimas, & quæ neq; in mea, neq; in alicujus mortalis potestate existunt. Inprimis donavi victoriam, & de hostibus triumphum: quasi verò non posses tam facile perdere, quàm vincere. an ignoramus, eventum belli semper esse dubium? Atq; hîc mihi vestra S. respondeat velim: si Conciliũ instaurares, & absolveres: si deinde bellum gerendum, quo posses tua decreta imperare, susciperes, & adversam fortunã experireris, tuiq; exercitus infœliciter pugnarent, fusiq;

essent, & cæsi, aut dilaberentur (quod tam multis modis potest accidere) quid obsecro futurum esset de illis Germaniæ urbibus, aut Principibus, qui fortè tuas partes fuissent secuti? Sed quid ego nunc de illis, qui tam procul à nobis sunt, interrogo? Accedam propius: quo in statu futura esset Italia? Atq; ut adhuc propius accedam, quo in statu Roma? quo in statu tuamet persona? Quòdnam velles querere latibulum, aut perfugium? Quod suavissimi tui affines & cognati? Quòdnam tuus Cardinalium senatus? & Episcopi, tuæ creaturæ? Est quidem arca illa Noæ in illo extremo sinu maris Adriatici, in qua (si modò recipereris) posses aliquandiu tutus esse. Sed illa Respub. te non reciperet, sat scio: & talem veluti Helenam, recusaret domi alere. Nam si te recipiendum putaret, rectè de bello gerendo deliberandum illi esset adversus tuos hostes, qui illius hostes fierent: & te intra paludes Venetas recepto, protinus agros, villas, oppida, urbes eorum crudelissime devastarent.

Venetia.

*Inundatio in
Italiam popu-
lorum barba-
rorum.*

Et tibi pro certo persuadeas, Pater sancte, si armis tentares Concilii decreta Protestan-
tibus imponere, & res infœliciter eveniret, maxima inundatio, & veluti diluvium popu-
lorum barbarorum & hæreticorum, magno
furore totam Italiam invaderet, præsertim
verò

verò Romam: Romam inquam, Romam. Quos verò milites in promptu haberes, quos posses objicere ad sustinendum impetum illius multitudinis irritatæ, & exacerbatæ? præterquam quòd ea est tibi naturâ inimica. Objicerésne illi tuos Italos? At quid si magna pars eorum, in illa diu expectata ab ipsis occasione, aperiret intestina odia, quibus te clanculum prosequuntur: & vinceret barbaros ipsos crudelitate & rabie contra te? præsertim illi, illi inquam, quos dixi esse in tuis urbibus Lutherano veneno infectos? Proh dii immortales, tunc erumperet furor, tunc hi exultarent & insolescerent: hi essent futuri duces, hi instigatores extraneorum: hi tuos sacerdotes, tuosq; monachos, proh pudor, quibus injuriis atq; ignominiiis afficerent? quin & templa tua, & omnia sacra?

*Itali inimici
Pontifici.*

Heu me miserum! nam totus horreo, & vix lachrymas contineo, tantùm cùm leviter cogito, quæ nam esset futura strages, quæ calamitates miseriæq; totius Italiæ, quod odiû adversum te omnium, quæ infamia tui nominis apud omnes posteros: & quàm atrocibus cõtumeliis, scommatibus & blasphemiiis omnes te, tuumq; concilium, tuosq; exercitus impeterent, lacerarentq;.

Pater beatissime, Pater sanctiss. à cujus sapientia & virtute tota resp. Christiana spe-

rat res jucundissimas & foelicissimas, non autem hujusmodi funestas atq; infauistas, quales nunc invitus & magno cum dolore attingi: supplico atq; adjuro per illum Deum, qui te ad supremum istum dignitatis gradum exaltavit: per illum amorem & benevolentiam, qua prosequeris tuos nepotes, cognatos, affines: per amorem & benevolentiam eam, quam habes erga Romam ipsam, totamq; Italiam, tuam patriam: & praecipue ad eos qui te iuverunt, quo posses in ista sella quiescere, qua nihil est in toto orbe illustrius, aut foelicius: ne sinas te aliquorum consiliis impelli, & precipitari ad Conciliu, ad bella, ad tam magna mala: ac statuas, habendos tibi hostium acerbissimorum loco omnes eos, qui tam perniciose consilia porro suggerere voluerint.

Sed cum omnia ista pericula audieris, forte tibi, ne inultos sinas illos malos Germanos, veniet in mentem consilium eorum, qui censent, ineundum esse firmissimum aliquod foedus cum Henrico Gallorum rege, atque hujus opibus ac potentia uti ad debellandos Protestantes: ac ne is recuset tam magnam, tamq; arduam provinciam tecum aggredi, promittendum illi esse de adimendo nationi Germanicae Imperio, & rursus in Galliam, atq; in ipsum Henricum transferendo: si inquam veniret tibi in mentem, eorum Cardium
 lium

naliū consiliū sequi, qui huc te vellent
 impellere, dicam ego paucis hac quoq; de re
 quid sentiam. Nemo est qui neget, maximas
 esse opes, summamq; potētiam Henrici Gal-
 lorum regis: addo etiam, permagnam fœli-
 citatem: sed affirmo, hæc omnia non esse ad-
 huc tanta, etiam si cum tuis opibus, tua potē-
 tia, tuaq; fœlicitate jungantur, ut ad de-
 bellandam Germaniam paria esse possent.
 Nam quis dubitat, quin omnes Principes ad
 unum, atq; omnes ad unam liberæ civitates,
 etiam illæ ipsæ quæ alioquin favent tuæ san-
 ctæ Sedi, arma palam caperent contra te, &
 contra regem ipsum, si quid olfacerent vos
 cogitare de transferēdo ex Germania in Gal-
 liam Imperio? hoc prorlus esset, aut pupillā
 oculi, aut cor ipsum ad vivum tangere. Qua-
 re ipsæ mediūsfidius fœminæ armatæ, ipsiq;
 pueri, atq; ipsamet (ut ita dicam) laxa, atque
 arbores evulsæ ab radicibus accurrerent, ut se
 vestris exercitibus objicerent; nec fortè vos
 expectarent in limitibus Germaniæ, sed vel
 Romam, vel Parisios usq; obviam prodirent.
 Quin non solūm rex Romanus, rex Bohe-
 miæ, ac rex Poloniæ, tunc futuri essent vestri
 infensissimi hostes: sed unā Veneti, atq; o-
 mnes Italiæ principes. Rogas? Quia cū Hen-
 ricum de occupanda Germania atq; Imperio
 viderent conantem, jurè putarent, eum de

Monarchia cogitare: cur ergo se non objicerent totis viribus, dum adhuc tempus esset, quo talis conatus posset reprimi?

Pater sanctissime, utrosq; censeo tibi habendos hostium loco: tum videlicet eos qui tibi suggerunt consilia de adjungendo tibi Cæsare contra Germaniam: tum eos qui de Gallorum rege conjungendo (in ea quidem causa) verba faciunt. Cedò, cur non esset tantundem Rom. Ecclesiæ postea timendū ab Henrico victore, & potiore rerum, quantum ab ipso Cæsare? Certè non est consultū vobis Pontificibus, ullum vel Cæsarem, vel Regem, nimis in altum evehere, propter eas quas dixi causas.

In summa: si Germaniæ Principes & populi, in sua heresi pertinaciter pergere velint, sine pergāt cum eorum magno malo: tu rem colloca in manu Domini, permitte illum facere, qui probè sciet viam invenire quomodo illos perdat, & Ecclesiam suam tueatur, absq; eo quòd tu tantis periculis eam cōmittas. Imitare majores tuos, qui cū vidissent regnum Bohemiæ eadem phrenesi laborare, ut se vellent ab unitate hujus Sedis sanctæ divellere, haud putarunt illud magna vi esse retinendum, sed laxandas habenas. At postea paulatim per se cœpit ad cor redire, & se nostrę Ecclesię reconciliare: id quod etiam
Ger-

Germaniam facturam esse speremus. Si Deus te Pontificem fecit, fruere ista tanta foelicitate, atq; eam ne conturbes. Habes quinquaginta & amplius civitates sub tuo temporali (ut solemus dicere) imperio: unde potes nullo negotio, quinquies centena ducatorum millia singulis annis colligere. Habes praeter ea ex mineris quae sunt in Sicilia, opulentos redditus, circiter ad sexaginta millia: habes Italiam, Gallias & Hispanias, quae tibi magna humilitate obediunt, quaeq; te profus adorant, ac quotidie mittunt ad tuos usq; pedes, ob varias causas, ingentem vim novi auri argentiq;, ita ut Romana curia sane floreat, & in magna hilaritate vivat, invitis & fremen- tibus Lutheranis: qui quidem cuperent te & Concilio, & bello gerendo implicatum videre: prospiciunt enim, te, si Concilium egeris, & necessario bellum deinde adornaveris, adducturum totam Rom. Ecclesiam, quam illi tantopere oderunt, in summum discrimen. Habes circum te & nepotes, & tam multos alios, quos tibi natura & jus sanguinis conjunxit: & scimus te cupere eos ditescere, atq; ornare, & efficere ut in tota tua posteritate appareat tui Pontificatus, tuaeq; erga illos benevolentiae ac liberalitatis illustre aliquod testimonium. Deniq; habes plurimos familiares, quos valde amas (quae tua est bonitas & clemen-

clementia) quibus cupis benefacere. Quare noli fraudare te ipsum, & omnes tuos, ea spe; & ex tam pacifico, tam lato atq; amplissimo loco, in quo te Deus, & tua ingentia merita collocarunt: cave ne te dedas præcipitem in foveam, repletam gravissimis sollicitudinibus, atq; infamia.

Aut si quid vis bello experiri, perge (ut cœpisti) in exturbandis regulis, qui Rom. Ecclesiæ arces atq; oppida circumcirca tam multis modis occuparunt. Quin & illud omnes æquo animo ferent, ac laudabunt etiã; si de Neapoli, quæ tua est patria, & Pontificũ Romanorum feudum, & de toto eo regno aliquid volueris conari: ut saltem tot profugi atq; extorres, affines & consanguinei tui, aliq; præcipua nobilitate viri, quos tam multos in tuo Palatio collegisti, in pristinam fortunam ac dignitatem per te restituantur.

Osculor pedes tuæ Sanctitatis: immortalesque habeo, agoque gratias pro tuis auri-
bus, quas mihi tam benignas, adeoq; clementes hesterno, hodiernoque
die præbere, non es de-
dignatus.

F I N I S.

II.

Quare
a spe;
ssimo
merita
em in
dini-

ge (ut
Rom.
a tam
ud o-
t etiã,
tificũ
regno
rofu-
ei tui,
n mul
n for-
ar.
norta-
s auri-
cle-

...
...
...
...
...
...
...
...



19. 5046.

ULB Halle

3


004 968 549



1017

M.C.







SECR

PONTI


PR

An Paulus
de insta



Uu
ho
dig
effe
dei

solùm ea quæ Re
in tota etiam Re
video nunc nego
haberi, quo null
arduum, magis
tractatum, ex
posteaquam in
gradum (Dei gra
negotio nunc ve
satis etiam facian



Kodak
LICENSED PRODUCT

KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

